BIBL. NAZ.
Vitt. Emanuele III.
RACCOLTA
VILLAROSA
B
808

Digitized by Google

Digitized by Google

605477 Rac. Vill. B. 808

DE JURE DOTIUM

COMMENTARIUS

In Digeſtorum, Codicis, & Voluminum Juris Neapolitani rubricam

Ad uſum auditorum

CAROLI GAGLIARDI

In Regia Neapolitana Univerſitate Juris Canonici Anteceſſoris.

ANNO Æ. V. CIƆIƆCCXLVII.
Ex Typographia Severiniana
Superioribus annuentibus.

Digitized by Google

XX.736

Google

VIRO AMPLISSIMO

JOSEPHO-MARIÆ
ANDREASSO

Ex Mantuanis Patriciis oriundo, Patricio Beneventano, Utriuſque Siciliæ Regis in Tribunali Miſto, & Regali Camera S. Claræ a Conſiliis.

CAROLUS GAGLIARDUS
S. P. D.

CUM mihi primum in animum ſubiit commentariolum de JURE DOTIUM erudiendæ juventuti tradere, atque in publicum edere, eundem Tibi potiſſimum inſcribere conſtitui, ut perpetuum meæ erga Te obſervantiæ, Tuæque erga me benevolentiæ monimentum aliquod extaret; ratus præterea ma-

Digitized by Google

ximum exinde præſidium labori meo acceſſurum . *Quidni* ? Dum potiores enim juſti atque injuſti regulas rei in foro frequentiſſimæ ſparſim in hoc qualicunque opuſculo adoleſcentibus Juriſprudentiæ ſtudioſis propono ex communibus, ac patriis legibus, uſuque forenſi collectas, Te animatam juſtitiæ normam, & legem loquentem iiſdem in primis exhibeo, id opuſculo præſtiturum, quod anima corpori. Quotus profecto quiſque eſt, quem tua ſapientia & æquitas in rebus judicandis, & longæva fori experientia lateat? Quemve tua ab adoleſcentulo ad declinantem hanc uſque ætatem integritas, conſtantia, & fides tot annos in tot ſenatoriis muneribus exercendis explorata, & undequaque perſpecta prætereat? Quiſquis autem ſummas in Te animi dotes, ſummamque virtutem cum generis nobilitate conjunctam intuetur, in Temetipſum agnoſcit a Majoribus tuis claritatem ſanguinis una & virtutem fuiſſe propagatam. Quemadmodum enim illi ad maximas dignitates, fortunæque amplitudinem nonniſi virtute duce proceſſerunt, Tu quoque proceſſiſti. Tot quippe, tantaſque res domi, militiæque geſſerunt, tantam virtutem vetuſto clariſſimi ſanguinis ſplendori addiderunt, ut honores ſummos, ſummamque ſereniſſimorum Regum gratiam promeruerint. Annibales, Ubertos, Decios, Alphonſos, ceteroſque præclaros tuæ familiæ Viros, Mantuanos

pro-

proceres, tot abhinc ſeculis a Carolo III e Dyrrachii Ducibus, & Johanna II feudis Garauſi & Roccæ Vallis in Lucania donatos, a Ferdinando I Aragonenſi opibus auctos, a Carolo V. Imperatore maximis dignitatibus, & Nobilium quoque Neapolitanorum privilegiis & immunitatibus ornatos, publica & probata veterum monimenta conteſtantur. Cujuſmodi honoribus & privilegiis Decium proavum tuum jure fruentem dijudicavit, pronunciavitque Regium Collaterale Conſilium duobus abhinc ſeculis. Franciſcum - Antonium parentem tuum inter clariſſimos ævi ſui advocatos quam maxime præcellentem ob eximia doctrinæ, & probitatis merita Carolus II Hiſpaniarum Rex primum Regiæ Cameræ Summariæ Præſidentem, deinde ſui Regalis Patrimonii Advocatum Fiſcalem, ad extremum Collateralis Conſilii Regentem creavit. Ad iſtud Patris tui vel æquale, vel ſuperius ſenatoriæ dignitatis faſtigium Te pariter virtute, præſertim conſtanti, perpetuaque voluntate jus ſuum cuique tribuendi, manuductum, compertiſſima res eſt. Enimvero utprimum forum attigiſti, prætexta vix depoſita, publice de jure reſponſitaſti in M. C. Vicariæ tum in civilibus, tum in criminalibus, quum princeps juſtitiæ alumnus non antea ætatem ad procedendum in publicum habuiſſes, quam commiſſam Tibi a prælaudato Carolo II jus

di-

dicendi poteſtatem. Quumque Regii Fiſci perſonam paulo poſt gereres, adoleſcentiam tuam adeo in publica criminum delatione commendaſti Fiſcus veritatis, ut nullus unquam ſub clypeo tuo innocens opprimeretur, dum a noxiis promeritas pœnas, licet invitus exegiſti. Inter Regios deinde Conſiliarios adſcriptus in hoc Neapolitano Prætorio, tum Caput Aulæ conſtitutus in eadem M. C. V. tam recte ſancteque hiſce ſenatoriis muneribus utrobique perſunctus es; ut qui Tecum æquitate atque integritate contenderet, non qui Te præcelleret, inveniri ullus poterit unquam. Quis porro Te legum cuſtos diligentior? Quis in judicando prudentior? Quis adverſus fori calliditates & impetus conſtantior? Quis innocentiæ magis propitius? Quis ſceleribus magis infeſtus hoſtis unquam extitit? Prætoris inſuper officium Capuæ tanta æquitate, clementiaque geſſiſti, ut quamvis poteſtatem tuam liberius exercere potuiſſes, ſplendore tamen dignitatis tuæ quaſi depoſito ita faciles erant ad Te & ſupremi ordinis, & infimæ plebis aditus, ita liberæ omnium querimoniæ, ut qui dignitate principibus excellebas, humanitate par infimis eſſe viderere. Et ubi Magiſtratus omnes heic ſiluerunt, Tu ſolus ceu Præfectus Urbi univerſa omnium Tribunalium urbanorum munia obiviſti, jus reddidiſti, ſubitiſque Urbis & Provinciarum

pro-

proſpexiſti neceſſitatibus; quippe qui communis libertatis vindex & pater patriæ habereris, quoniam Cives ſub Te legum ſervi eatenus ſemper extitere, ut reapſe liberi eſſent. Cumque tandem tot tantiſque exantlatis laboribus otium optares animi, & vacationem a muneribus poſtulares; Te meritis onuſtiorem, quam omnium linguæ mortalium prædicare valeant, ad ſupremos ſenatorii ordinis gradus adduxit ſuprema æquiſſimi & clementiſſimi Regis noſtri providentia, inque Tribunalis Miſti, & Regalis Cameræ S. Claræ Conſiliarium cooptavit. Tuæ hujuſce fortunæ Tu faber fuiſti: hanc nanque dignitatem non fortuna, ſed virtute Tibi germinatam agnoſcimus. In qua ſumma Reipublicæ noſtræ negotia cum Quinqueviris gerens, Regia qua fungeris auctoritate, dotium indemnitati præcipue conſulis, earumque alienationem, ultra quam jus patitur, minime indulges: quod enim Reipublicæ generatim intereſt, mulieres dotes ſalvas habere, ad Tuum nunc ſpeciatim pertinet officium. Qui ergo jura dotium protegis, tractatum DE JURE DOTIUM ſub Tui nominis auſpiciis æquo animo accipe, tenue quidem, ſed a dignitate tua haud alienum munuſculum. Cujus voti compotem ſi me facere non dedignaberis, tanta fretus auctoritate commentarius obtrectatores non timebit unquam; atque tyrones, quorum utilitati editur, intel-

ligent

ligent eundem Tibi ipſius juris moderatori optimo dicatum acceptumque tam a communi, & municipali jure, quam a conſuetudinibus & moribus noſtratibus, ut proponitur, neutiquam declinare : nemo eſt enim qui neſciat a Te nullum probari poſſe fucum veritatis. Maximum hoc erit, quod expto, labori meo præſidium. Vale, & D. O. M. Te mihi, Reique publicæ quam diutiſſime ſervet incolumem.

Datum Neapoli Idibus Martiis 1747.

EMI-

EMINENTISSIMO SIGNORE

Giuſeppe Severini pubblico ſtampatore di queſta Città umilmente eſpone a piè dell' E. V. come deſidera dare alle ſtampe un trattato *de jure dotium* del Doctor D. Carlo Gagliardi. Supplica perciò V. E. a degnarſi commetterne la reviſione, e ſucceſſivamente concedergliene la licenza. Che &c.

Admodum Rev. U. J. D. D. Marcellus Cuſanus Regius Juris Civilis primarius Profeſſor revideat, & in ſcriptis referat. Datum Neap. die prima Februarii 1747.

C. Epiſcopus Antinop. Vic. Gen.

Julius Nicolaus Epiſcop. Arcadiopol. Can. Dep.

EMINENTISS. ET REVERENDISS. DOMINE

Juſſu tuo diligenter legi methodicum Commentarium *ad tit. Digeſt. & Cod. de jure dotium* authore clariſſimo viro U. J. D. D. Carolo Gagliardi. In eo nihil extat, quod ſanctam noſtram Chriſtianam Catholicam Religionem, aut bonos lædat mores: ideo, ſi tamen ita videbitur E. T., typis publicari poſſe cenſeo, præſertim quod ſummæ utiliati eſſe poteſt tum adoleſcentibus legum ſtudio dantibus operam, tum in foro verſantibus: quum doctus author plures in eo quæſtiones ad uſum fori ſcitu dignas, immo quam maxime neceſſarias proponat, & illas accurata methodo ſecun-

dum

dum vera juriſprudentiæ principia tractet; atque definiat. Neap. Kalendis Martii cIↄIↄ.ccxlvii.

E. T.

Addictiſs. & obſequentiſs. famulus
Marcellus Papinianus Cuſanus Regius
primarius Anteceſsor.

Attenta retroſcripta relatione Domini Reviſoris Imprimatur. *Datum Neapoli ex Curia Archiepiſcopali hac die 4. Martii 1747.*

Nicol. Canonicus de Autellis Provic. General.

Jul. Nic. Epiſcop. Arcadiopol. Can. Dep.



Giu

S. R. M.

SIGNORE

Giuſeppe Severini pubblico ſtampatore in queſta Città umiliato a piè del Regio Trono di V. M. l' eſpone il deſiderio, che tiene di pubblicar colle ſue ſtampe alcuni trattati Legge tanto canonica, quanto civile compoſti dal Dottor D. Carlo Gagliardi pubblico profeſsore di Legge canonica in queſta Voſtra Regia Univerſità, cioè *de Beneficiis eccleſiaſticis*, *de Jurepatronatus*, *de Jure Dotium*, *de Jure Congrui*, *de Pignoribus & Hypothecis*, *de Fideicommiſſis*, *de Jure accreſcendi*, *de Ceſſione Jurium*, *& de Feudis*. Supplica perciò la M. V. a degnarſi concedergli l' opportuna licenza. Che &c.

Almodum Rev. U. J. D. D. Blaſius Troyſius in hac Regia Studiorum Univerſitate Profeſſor in Cathedra Primaria Veſpertina Juris Civilis revideat, & in ſcriptis referat. Neap. die 28 menſis Febr. 1747.

C. Galianus Archiep. Theſſal. Capell. Maj.

S. R. M.

Ut tua juſsa facerem, attente perlegi librum in octo tractatus ab U. J. D. D. Carolo Gagliardo diſtinctum, videlicet *de beneficiis eccleſiaſticis*, *de jurepatronatus*, *de jure dotium*, *de jure congrui*, *de pignoribus & hypothecis*, *de fideicommiſſis*, *de jure accreſcendi*, *de ceſſione jurium*, *& de feudis*: & in ea lectione non modo nihil offendi, quod regiis juribus obſtaret, ſed omnia mira induſtria & methodo ad juventutis utilitatem ita pertractata, ut magna ſit inde laus magiſtro docenti, & fru-

ctus

ctus uberrimus addiſcenti: quandoquidem catenata præbentur cum jure communi patria inſtituta, ut pronum ſit ex ipſa lectione & quid olim factum ſit, & quid hodie fiat, quaſi unico intuitu deprehendere, & ad forum ſine ullo alio vectigali ſive ad cauſas agendas, ſive ad decidendas prorumpere. Opus igitur uſquequaque perfectum typorum luce dignum cenſeo. Datum Neapoli Nonis Martiis anno æræ vulgaris cIↄIↄccxlvii.

M. V.

Humillimus & obſequentiſ. famulus
Blaſius Troyſius.

Die 18 menſis Martii 1747. Neapoli.

Viſo reſcripto S. R. M. interpoſito ſub die 17 currentis menſis, & anni: relatione facta per Reverendum U. J. D. D. Blaſium Troyſium de commiſſione Reverendi Regii Capellani Majoris de ordine præfatæ Majeſtatis.

Regalis Camera Sancta Claræ providet, decernit, atque mandat, quod imprimatur cum inſerta forma præſentis ſupplicis libelli, & relationis dicti Reverendi Reviſoris, & in publicatione ſervetur Regia Pragmatica. Hoc ſuum.

Danza. Caſtaonola. Fraggianni. Andreaſſi.

Illuſtris Marchio de Ip lito Præſes S. R. C.

& Reg. Conſ. Aulæ Præfectus Maggiocca non interfuerunt.

Regiſtr. in Archiv. Reg. Juriſd. *fol.* 16 *a ter.*

Larocca.

Athanaſius.

DE

DE JURE DOTIUM COMMENTARIUS

In Digeſtorum, Codicis, & Voluminum Juris Neapolitani rubricam.

Quod alicui a natura, vel ab hominibus datum eſt, lata *dotis* notione ſæpenumero continetur. Hinc animi dotes dicuntur ingenium, mores, virtutes: dotesque corporis, venuſta forma, ſalus, fortitudo. Dos eſt forma puellis, Ovidio ſi credimus. Prædiorumque dotes appellavit Papinianus ea inſtrumenta, & adventitia emolumenta, quæ minime innata, ſed aliunde quæſita, ſic attribuuntur prædiis, ut dotes nuptis, *l. cum pater* 2 *D. de inſtructo vel inſtrum. legato, & l. amiſſi* 52 *§.* 2 *D. de fidejuſſoribus*. Dos Eccleſiæ in ſacris cano-

Digitized by Google

canonibus paſsim dicitur, quam debet fundator conſtituere ſufficientem & ad luminaria, & ſacrum miniſterium, & cuſtodiam, & alendos miniſtros *can. nemo Eccleſiam 9 de conſ. diſt. 1, & Nov. 67 cap. 2.* Et quæ Monialium Monaſteriis perſolvitur pecunia ob ingreſſum puellæ profeſſuræ, & ſuſceptionem habitus religioſi, pariter dos nuncupari ſolet: quia quoddam ſpirituale conjugium indiſſolubili nexu contrahitur inter Monialem ſolemnia vota profitentem, & Chriſtum Dominum, cui ea perpetuam ſpondet caſtitatem ac fidem. Speciatim vero *dotis* vocabulum a Jureconſultis accipitur ad ſignificandum quod ab uxore, vel alio ejus nomine datum, vel promiſsum eſt pro ſuſtinendis matrimonii oneribus. Apud eos tamen id vocabulum ſic acceptum modo uſurpatur pro rebus dotalibus, ut *in tit. D. de dotis collatione*, & alibi paſsim; modo pro *jure* dotium, & actione dotali, ut *in tit. n.* Et Ulpianus Pomponium ſequutus apertiſsime dotem a corporibus dotalibus diſtinguit, tradens *neceſſarias impenſas dotem minuere*, non autem res ipſas corporaliter, *l. quod dicitur 5 D. de impenſis in res dotales factis.* Sed utrum in jure pecuniæ, vel in ipſa potius pecunia principaliter inſit natura dotis (quod diſputat clariſs. Aulilius *ad par. 3 rubr. ſoluto matr. quemad. dos pet.*); aut civilis una, & naturalis altera ſit hujuſce vocis ſignificatio, quærere omittimus ultro: uti cæteras id genus quæſtiones verborum neglexerimus, quæ proficuam juris regulam non pariant. In animo enim eſt mihi leges rebus, non verbis impoſitas inquirere, quæ uſui quandoque futuræ ſint in judicando, vel conſulendo, vel poſtulando, vel ſententias uſu, ſtyloque receptas comprobando: atque in hoc tractatu peculiariter quid leges communes, quid municipales, quid noſtrates conſuetudines definiverint de *jure dotium*, de quibus quotidie in foro diſceptatur, ut ſtudioſi Juriſprudentiæ tyrones accommodatas ad praxim jure fulcitam ſententias ſelectiores prædiſcant. Quibus quoniam debitor ſum, ea heic ediſseram oportet, quæ cæteroqui ſunt Juriſprudenti-

bus

Digitized by Google

bus obvia & patentia & captu facilia, cum parvulis ipſe loquens parvulus.

Primum itaque, favente Deo, ad generalem materiæ cognitionem præcipiendam, definitionem expendamus, præcipuasque dotis qualitates & diviſiones, ut in præludio innoteſcant vocum ſignificationes, quæ hac in re uſuveniunt. Tum de perſonis ad dotandum obligatis, de dotis promiſsione, de pactis dotalibus, de legato dotis, de ſolutione, de uſuris dotalibus, de evictione dotis, de rerum dotalium adminiſtratione ac dominio, de alienatione, de facultate teſtandi, atque ſucceſsione dotium, de donationibus inter virum & uxorem, de donatione propter nuptias ſive quarta vel antefato & aliis donativis, ſoluto matrimonio quemadmodum dos petatur, de dote prælegata, de dotis collatione, de actionibus, & privilegiis dotalibus.

C A P. I.

DE DOTIS NATURA, ET QUALITATIBUS.

1. *Expenditur definitio dotis.*
2. *Tam in pecunia numerata, quam in quibuslibet rebus mobilibus, & ſtabilibus, corporalibus, & juribus dos conſtituitur.*
3. *Patrimonium mulieris, & univerſitas bonorum dos eſt, ſed non jus univerſale.*
4. *Ad onera matrimonii ſuſtinenda dos marito datur, eique fructus debentur.*
5. *Tacitam conditionem futuri matrimonii continet dotis promiſſio.*
6. *Quaſi dos vocatur ante nuptias tradita, vel pro nuptiis irritis.*

7 *Dos ſine matrimonio non eſt, at ſine dote matrimonium conſiſtit.*
8 *Inter contractuum oneroſorum ſpecies, non minus quam donationum dos habetur.*
9 *Quænam ſit dos profectitia?*
10 *Quænam adventitia?*
11 *Quænam receptitia?*
12 *Æſtimata dos redolens venditionem cedit periculo, & commodo viri: at inæſtimata ſit melior, vel deterior mulieri.*
13 *Inæſtimatæ res quandoque a lege præſumuntur æſtimatæ.*
14 *Æſtimatio impropria non redolet venditionem.*
15 *Ex facti circumſtantiis conjicitur qualitas æſtimatæ, vel inæſtimatæ dotis.*
16 *A re uxoria dos differt.*
17 *Favent dotibus in dubio leges, atque Interpretes.*

1 SEcundum naturalem, frequentioremque loquendi uſum dos definitur eſse *pecunia marito nuptiarum cauſsa data, vel promiſſa*, ut ex Varrone Hotmanus ſcribit *in comm. verb. jur.* & Dion. Gothofredus *ad l. 1 D. tit. n.* Definitionem hanc Varronianam per partes ſuas operæ pretium eſt nunc exponere, qualiſcunque ea ſit. Quandoquidem „ omnis „ definitio in jure civili periculoſa eſt, parum eſt „ enim ut non ſubverti poſsit., ut fatentur cum Javoleno *in l. omnis 202 D. de reg. jur.*

2 *Pecunia* quidem dos generatim dicta eſt, quum pecuniæ ſignificatio ad omnia ea referatur, quæ in noſtro patrimonio ſunt *l. rei appellatio 5, & l. pecuniæ 178 D. de verb. ſign.* „ Et pecuniæ nomine non ſolum nu„ merata pecunia, ſed omnes res tam ſoli, quam „ mobiles, & tam corpora, quam jura contineantur, ut explicuit Hermogenianus *in l. pecuniæ 222 D. eod.* Exindeque intelligimus dotem non modo in num-

mis

mis conſtitui, rebusque mobilibus, quæ pondere, numero, menſura conſtant, & mariti periculo dantur, ut Cajus docet *in l. res in dotem* 42 *D. de jur. dot.* verum in prædiis quoque tam urbanis, quam ruſticis, quæ fundi dotales appellantur *in rubrica D. de fundo dotali*: itemque in bonis incorporalibus & juribus, puta hereditate, uſufructu, nominibus debitorum, *l. un. §. exactio C. de rei uxoriæ actione*: & rebus utique nedum ſingulis, ſed etiam univerſis.

3 Quia bona ſua mulier nedum particularia, ſed omnia quoque in dotem dare poteſt *l. mulier* 72 *D. tit. n.* Et quemadmodum pater filiam poteſt heredem in dote inſtituere, ut poſt Alexandrum cenſent Doctores *in cap. Raynutius de teſtam. & gl. in l. denique § ergo D. de minoribus*; ſic vicisſim & filia nupta vel exheredata, vel præterita pro dote non exacta quotam hereditatis paternæ legitimam petere *l.* 1 *D. de dotis collatione*, eamque univerſam quotam marito in dotem tradere. Ideoque cum Ulpiano (1) dicimus dotem eſse univerſitatem, ſeu corpus unum a lege confictum ex pluribus disjunctis conſtans, perinde ac peculium, & patrimonium universas facultates complectens (2): quoniam, ipſius filiæ proprium patrimonium eſt, juxta phraſim Ulpianæam *in l. denique* 3 *§. ergo* 5 *D. de minor.* At vero eam *jus univerſale* eſse negamus cum clariſsimo Aulisio *in comment. ad tit. ſol. mat. quemad. dos pet.* quale eſt hereditas, quæ ſine ullo corpore habet juris intellectum, & conſiſtentiam *l. hereditas §. etiam D. de petit. hered.* quatenus heres perſonam defuncti repræ-

 ſen-

[1] *In l.* 1 *D. de dote prælegata*, ibi: „ Quod diximus, ipſo „ jure dotem impenſis minui, non ad ſingula corpora, ſed „ ad *univerſitatem* erit referendum.

[2] Ulpianus in *l. ſi fideicommiſſum* 50 *§.* 1 *D. de judiciis* ſcribit non loci æs alienum eſſe, ſed *univerſarum* facultatum: æs enim alienum patrimonium totum imminuere conſtitit, non certi loci facultates.

ſentans, in univerſaque defuncti jura ſuccedens, æs alienum ſubire cogitur, tametſi non ultra vires hereditarias, & heres adhuc appellatur ſine bonis hereditariis. Dotem vero ſine pecunia dotali nequaquam jus intelligit, & dotatam non appellat, quæ nihil bonorum marito attulerit: quin etiam ſine ulla dote uxorem duci non vetat, ut mox diſquiremus *num.* 7: licet e contrario ſine matrimonio dos dari nequeat. Exinde conſequitur maritum cogi non poſse quaſi heredem ſeu univerſalem uxoris ſuæ ſucceſsorem oneribus reſpondere, neque a creditoribus ejus conveniri, sed non plus eſse in dotali promiſsione bonorum, quam quod ſupereſt deducto ære alieno, ut reſpondit Paullus *in l. mulier* 72 *D. tit. n.*

4 *Marito* autem dos attribuitur ob adminiſtrationem, & utile dominium pecuniæ dotalis, quod vir obtinet, (de quo infra *cap.* 6) ſenſurus dotis commoda, qui nuptiarum incommoda ſentit. Nam „ niſi matrimonii „ oneribus ſerviat, dos nulla eſt, ex Tryphonini ſententia *in l. ſi pater* 76 *D. tit. n.* „ Quum verò „ frequenter dotis fructus non ſufficiant ad onera ma- „ trimonii ſupportanda, ut Innoc. III reſcripſit *in cap. ſalubriter* 16 *de uſuris*; vera proinde dos habetur, tametſi permodica *l. Neratius* 20 *§. ſi maritus D. de relig. & ſumtib. funer.*

5 *Nuptiarum cauſsa* dos profecto conſtituitur, adeout ea ante *promiſſa* nullatenus debeatur, niſi poſt initas nuptias: vel *data* reſtituatur, niſi nuptiæ ratæ conſtiterint *l.* 3 *D. tit. n.* Quandoquidem & poſt contractum connubium, & ante illud æque dari, ac dici, & promitti dos valet, ut dicemus *cap.* 3. Sed peti nequaquam a viro poterit, niſi nuptiis ſequutis: quum „ omnis dotis promiſsio futuri matrimonii tacitam „ conditionem accipiat, inquit Papinianus *in l. dotis promiſſio* 68 *D. tit. n.* Eamque ob rem „ ſi ante „ matrimonium æſtimatæ res dotales ſunt, hæc æſti-

ma-

,, matio quaſi ſub conditione eſt: namque hanc habet
,, conditionem, ſi matrimonium fuerit ſequutum: ſe-
,, quutis igitur nuptiis æſtimatio rerum perficitur, & fit
,, vera venditio ex Ulpiani reſponſo *in l. plerumque*
10 *D. tit. n.* Hinc acceſsio & ſequela nuptiarum contractus dotalis non immerito appellatur. Sed videtur
,, impleta conditio, ſtatim atque ducta eſt uxor,
,, quamvis nondum in cubiculum mariti venerit: nu-
,, ptias enim non concubitus, ſed conſenſus facit, *l. cum fuerit* 15 *D. de cond. & dem.* Ideoque poteſt fieri, ut eo caſu aliqua virgo & dotem, & de dote habeat actionem, quo abſentem acceperit virum, eumque dein redeuntem a cœna juxta Tiberim periſſe contigerit, quem ab uxore lugendum reſponſum eſt *in l. denique* 6, *& l. ideoque* 7 *D. de rit. nupt.*

6 Vera idcirco dos interea non erit, ſed *quaſi dos*, quam ſponſus acceperit ante nuptias, & poſsederit, quouſque ratæ non conſiſtent nuptiæ. Ulpianus *quaſi dotem* appellavit datam pro dote pecuniam a nupta minore duodecim annis, quæ ratum non contrahit matrimonium *l. nec ullam* 13 *§.* 1 *D. de hereditatis petitione.*

7 ,, Neque enim dos ſine matrimonio eſſe poteſt: ubi-
,, cunque igitur matrimonii nomen non eſt, nec dos
,, eſt, ait idem Jureconſultus *in l. dotis appellatio* 3
D. tit. n. At vero matrimonium ſine ulla dote conſiſtere palam eſt ex Pomponio *in l. quod ſi nulla dos* 28 *D. de relig. & ſumt. fun. & Auth. præterea C unde vir & uxor.* Nuptias enim dos non facit, ſed affectus conjugum, ut faſsus eſt Juſtinianus *Nov.* 18 *cap.* 4 (1).

 § Inter

[1] Neque illegitimas quiſquam habebit nuptias; quas vir ſciens prudens rite iniverit cum indotata muliere ex *can. conſanguineorum* III *qu.* 4: ubi non legitime conjunctus abſque dote

8 Inter contractus, qui dolum duntaxat recipiunt, adſcripta eſt ab Ulpiano dotis datio *in l. contractus* 23 *D de reg. jur.*, quippe quæ ultro citroque obligat non minus dotantem ad pecuniæ ſolutionem, quam ſponſum ad conditionem facultativam nuptiarum implendam, atque ad onera deinde conjugii ferenda in alendis uxore, & liberis. Nihilominus inter donationum ſpecies adnumeratam fuiſse a veteribus dotem fatetur Juſtinianus *in l. ult. C. de donat. ante nuptias*. Quod referri debet ad eam dotem, quam extraneus promiſerit ultro, vel dederit liberalitatis cauſsa, nullaque neceſsitate cogente: nam Papiniano duce „ donari videtur quod nullo jure cogente conceditur, *l. donari* 82 *D. de reg. jur. & l.* 29 *D. de donat.* Minime vero ad illam, quæ a parentibus, aliiſque ad do-

dotali titulo ſponſus pronunciatur. Canon quippe eſt de mercibus putidis pſeudo-Iſidori, ceu deſumtus ex apocrypha *ep.* 2 S. Calixti Papæ ad Epiſcopos Galliæ, qui temporalem dotium curam ſuſcipere non potuit eo præſertim tempore, dum Alexandro imperante Ulpianus Chriſtianorum inimiciſſimus in lib. 7 de officio Proconſulis pœnas a Cæſaribus ſancitas contra Chriſticolas recenſeret, utque Urbis Præfectus in ſeditioſos, quicumque publicam turbantes animadverteret, & una cum aliis Juriſconſultis Cæſarem ad Fidelium perſecutionem trucisſimam conſiliis impelleret ſuis. Decretum vero Synodi Arelatenſis *in can. nullum* XXX *qu.* 4 his verbis conceptum „ Nullum „ ſine dote fiat conjugium: juxta poſſibilitatem fiat dos: nec „ ſine publicis nuptiis quiſquam nubere, vel uxorem ducere „ præſumat: ad Præfecturam Generalem Provinciæ Gallorum pertinet, ejuſque loci diſciplinam; adeoque nulla idcirco canonis communis lex edita eſt. Præter quam quod Gratianus poſt relatum Arelatenſe decretum continuo declaravit congeſtis in ea *qu.* 4 canonibus occultas nuptias prohiberi; quod probandum inibi aſſumſerat. At utrum Eccleſiaſtica poteſtas cognitionem, judiciumque habeat de dote ac dotalitio, diſſerimus *lib.* 3 *Inſt. Jur. Can. de foro compet.* Heic interea ſi vota primitivorum Patrum inquiramus, patebit alienam omnino fuiſſe voluntatem Eccleſiæ a dotalibus ſtipulationibus, quippe qui matrimonium ut Sacramentum ſpectari hortabantur, non ceu contractum emtionis venditionis; fidelibuſque uxorem ducturis ſuadebant ut mores ſponſarum inveſtigarent, non pecuniam

dotandum obligatis ſpondetur, daturque, a mero munificentiæ initio non promanans, neque a voluntate donum gratuitum præſtandi, ſed propriam tollendi obligationem ſolutione ejus, quod debetur.

9 Alia idcirco dos *profectitia* eſt, alia vero *adventitia*. Ulpianus *profectitiam* dicit eam, quæ a patre, aliove parente paterno profecta eſt de bonis, vel facto ejus *l. profectitia 5 D. tit. n.* Sufficit ergo alterutrum ad profectitiam dotem dignoſcendam, vel quod proceſſerit *ex bonis* paternis, vel quod *factum* patris quodammodo intervenerit. Hinc ſive parens dedit dotem, ſive patris procurator, aut negotiorum geſtor, aut curator prodigi, vel furioſi parentis, vel jacentis patrimonii durante captivitate; profectitia dos eſt. Quemadmodum talis etiam erit, ſi pater fidejuſſorem, vel correum debendi dederit pro ſe; vel mutuam pecuniam acceperit aut

riam dotem, vetereſque Patres in hoc imitarentur. „ Diſcite [inquit D. Chryſoſtomus *hom. 74 in Matth.*] „ quomodo ve„ teres Patres uxores ducebant, & imitamini. Quo pacto ergo „ ducebant? Ingenium, mores animi, virtutem quærebant; „ ac ideo ſtipulationibus & longa inſtrumentorum ſerie non „ indigebant: ſufficiebant enim loco illorum omnium mores „ ſponſæ. Dummodo morata recte veniat, dotata eſt ſatis ſecundum Plautum, qui multas in dotibus incommoditates, ſumtuſque intolerabiles ſub oculis ſponſorum poſuit intuendas. „ Nam quæ indotata eſt, [ait] ea in poteſtate eſt viri: „ dotatæ mulctant & damno, & malo viros. Et Ennicius Arniſæus *de jure connubii cap. 3* perplurima enumerat damna ex dotatis uxoribus in familias provenientia. Proptereaque Solon, ut Plutarchus refert, dotari mulieres Athenienſibus prohibuit, ſponſamque præter tres veſtes, & parvi pretii ſupellectilem, nec aliud quicquam inferre juſſit, nolens nuptiarum fœdus eſſe venale; ſed liberorum, gratiæque, & amicitiæ item cauſſa virum ac mulierem conſociari cupiens. Ab iſto Athenienſium jure [cui aliorum quoque populorum mores, & leges conſonant] quamvis Romani recedere maluiſſent præoptantes dotalem pecuniam in connubiis; nihilominus libertatem ducendi ſponſas indotatas minime refraenarunt, ſed immo approbarunt. Dotis ergo deficientia ſecundum leges communes, quibus vivimus, nec illegitimas, neque irritas efficit nuptias.

aut ipſe pater, aut filius familias paternum gerendo negotium: ſufficit enim quod pater ipſo jure obligetur creditori mutuanti, ſive correo in ſolidum obligato, ſive fidejuſſori *d. l. 5 §. 1 ad 8*. Si præterea pater pro filia emancipata dotem dederit, profectitiam nihilominus dotem eſſe nemini dubium eſt: quia „ non jus „ poteſtatis, ſed parentis nomen dotem profectitiam „ facit; *ibidem §.11*. Si tamen avus paternus neptis nomine dotem genero dedit, & moritur; negat Servius dotem ad patrem reverti: quia non poteſt videri ab eo profecta, qui nihil ex his ſui habuiſſet. & Labeo cum Servio ſenſit *in l. avus 79 D. de jur. dot.*

10 *Adventitia* dos a matre, & maternis cognatis, vel ab ipſamet ſponſa ex bonis ejus, vel a quovis alio extraneo (1) dotatore provenit, vel „ quam pater non „ quaſi pater, ſed alio dotem promittente quaſi fidejuſ„ ſor ſolverit de bonis non ſuis, aut ex illis, quæ „ ipse deberet filiæ emancipatæ, ut cum Neratio tradit Ulpianus *in eadem l. 5 §. ſi pater*. Res etiam filiæ emancipatæ primum donatas a patre, poſteaque in dotem pro ea ipſius filiæ voluntate datas, Ulpianus reſpondit ad profectitiam dotem minime pertinere, eaſque a filia, non a patre datas videri *in l. ſi res 51 D. de jur. dot.* Si etiam quis certam quantitatem ſub conditione patri donaverit, itaut hanc pro filia daret, non eſſe dotem profectitiam Julianus cenſuit, ſed adventitiam: obſtrictus eſt enim pater, ut det; aut ſi non dederit, condictione tenetur. Ideoque uxor marito dans pecuniam ſub ea conditione, ut pro filia genero in dotem daret, dotem iſtam adventitiam cum eodem Ju-

(1) „ Extraneum intelligimus omnem citra parentum per „ virilem ſexum aſcendentem, & qui in poteſtate dotatam „ perſonam non habeat; ait Juſtinianus *in l. un. §. 13 C. de rei uxor. act.*

Jureconſulto dicemus: quia nec videtur uxor marito donaſſe *d. l.* 5 §. 9. At ſi quis patri donaturus dedit, Marcellus ſcripſit hanc quoque dotem a patre profectam eſſe, quod comprobavit Ulpianus *eadem l.* 5 §. 2. Inſpiciendus ergo eſt animus dotantis extranei, utrum filiæ, an patri donare pecuniam velit: priori enim caſu dos erit adventitia, licet per medium patris ad filiam ab extraneo devenerit: in poſteriori autem erit profectitia, ſi extraneus directe dederit filiæ intuitu patris, alias non daturus, ubi deeſſet perſonæ patris contemplatio. Itidem ſi legatum repudiaverit pater, ut apud generum heredem remaneat dotis conſtituendæ cauſa, quia nihil erogavit de ſuo pater, quum nullum jus in legato adquiſiviſſet, profectitiam dotem non haberi probavit cum Juliano Ulpianus *d. l.* 5 §. 5. Idemque locum habebit in hereditate, quam vel adire noluerit, vel expreſse repudiaverit parens ſibi delatam vel ab inteſtato, vel ex teſtamento, ut ea ad generum vel ex ſucceſſorio edicto, vel tanquam ſubſtitutum devolveretur ex dotis cauſa.

11 Alia demum *receptitia*, quam extraneus dotans, ut ſibi reſtituatur ſoluto ſine liberis matrimonio, ſtipulatus eſt, ex Gajo *in l. mortis* 31 §. 2 *D. de mortis cauſ. donat.* Ut enim docuit Ulpianus *in fragm. tit.* 6 §. 5 „ *Adventitia* dos ſemper penes maritum re„ manet, præterquam ſi is, qui dedit, ut ſibi redde„ retur, ſtipulatus fuit: quæ dos ſpecialiter *receptitia* dicitur (1).

12 Rur-

1] Receptitiæ autem res uxoris potiſſimum appellabantur a veteribus extradotales: nam mulier dotem marito dans, quæ ex ſuis bonis ſibimetipſi reſervabat, ea recipere dicebatur; A. Gell. *lib.* 17 *noct. Attic. cap.* 6; Quo ſenſu M. Cato Voconiam legem ſuadens ad excludendas a ſucceſſionibus fœminas inquit. „ Principio vobis mulier magnam dotem attulit. tum „ magnam pecuniam recipit, quam in viri poteſtatem non „ committit. eam pecuniam viro mutuam dat. poſtea, ubi „ irata facta eſt, ſervum receptitium ſectari, atque flagitare „ virum jubet.

12 Rurſus modo *æſtimata*, modo *inæſtimata* dos nuncupatur ad diverſos juris effectus inſpiciendos. Nam datio dotis æſtimatæ redolet implicitam emtionem, venditionem, quatenus vir bona ſive ſtabilia, ſive mobilia in dotem æſtimata accipiens pleno dominio ſibi acquirat, non aliter quam ſi ea emſerit; ſuique ipſius periculo ſimul & commodo ſint, quamvis eaſdem res uxor ipſa in uſu habeat, & utendo conſumat & atterat ex Papiniano *in l. cum poſt divortium* 69 §. 8 *D. tit. n.* Et nonniſi æſtimationem ſeu pretium reſtituere debeant is, ejuſque heredes *l. plerumque* 10 *D. eod.* Ubi Ulpianus animadvertit quod „ plerumque intereſt viri res non eſſe *æſtimatas*, idcirco ne „ periculum rerum ad eum pertineat: maxime ſi animalia in dotem acceperit, vel veſtem, qua mulier „ utitur: eveniet enim, ſi æſtimata ſint, & ea mulier „ adtrivit, ut nihilominus maritus æſtimationem eorum præſtet. Quotiens igitur *non æſtimatæ* res in „ dotem dantur, & meliores, & deteriores mulieri fiunt. „ Si prædiis inæſtimatis aliquid acceſsit, hoc ad compendium mulieris pertinet: ſi aliquid deceſsit, mulieris damnum eſt.

13 Verum inæſtimatæ res aliquando legem dotis æſtimatæ ſubeunt, & e contrario. Siquidem „ res in dotem datæ (ſine hominis æſtimatione) quæ pondere, numero, menſura conſtant (puta argentum, aurum, vinum, frumentum, oleum) „ mariti periculo ſunt: quia in hoc dantur, ut eas maritus ad „ arbitrium ſuum diſtrahat, & quandoque ſoluto matrimonio, ejuſdem generis & qualitatis alias reſtituat vel ipſe, vel heres ejus, ut cenſuit Gajus *in l. res in dotem* 42 *D. tit. n.* Licet enim inæſtimatas acceperit ab homine, ſatis tamen ſuperque a lege præſumuntur æſtimatæ, quemadmodum cum Baldo notat Gothofredus *ibidem*.

14 Viciſsim æſtimatæ res naturam dotis inæſtimatæ for-

ſortiuntur, ubi fiat *aſtimatio impropria* ad ſciendum duntaxat valorem bonorum pro lucris dotalibus, & hypobolicis dignoſcendis; non autem ut quaſi vendita bona marito tradantur, quatenus periculo, & utilitati ſint mulieris, & eadem reſtituantur vel deteriora, vel meliora, quæ accepta ſint.

15 Quotiens tamen dubitetur utrum æſtimata, nec ne dos fuerit, conjecturæ ſunt ex facto adhibendæ. Quantitas enim præcedenter nominata in dotalibus inſtrumentis, & ſpecies ſubſequenter; vel clauſulæ translationem dominii viro attribuentes; vel promiſsio reſtituendi in pecunia; vel alienandi facultas, cæteræque hujusmodi æſtimatam fuiſſe revera dotem arguunt. Et contra oſtendent inæſtimatam pactiones & clauſulæ, quæ mododictis adverſentur.

16 Diſtinguenda præterea eſt dos, & pecunia dotalis *a re uxoria* tanquam ſpecies a genere. Profecto rei uxoriæ vocabulum res nedum dotales, ſed prœterdotales etiam, ſeu paraphernales, & receptitias complectitur. Ad dotem pertinet quicquid ad ipſam ſemel conſtitutam dotem augendam ſuperadditur & datur tanquam pars acceſſoria eo animo & pacto, ut unius, ejuſdemque juris ſit, cujus dos ipſa eſt *l. inter ſocerum* 26 *§. cum inter D. de pact. dotal. & l. etiamſi* 8 *C. tit. n.* Ad rem vero uxoriam referuntur cætera omnia, quæ extra, vel præter, vel juxta dotem uxor obtinet intra mariti domum, conſtante matrimonio, eique obveniunt ex donationibus ante, vel propter nuptias, ſuper quibus omnibus vir neque poſſeſsionem, neque dominium ullum acquirit ex nuptiarum titulo, tametſi etiam ſine uxoris mandato pro iiſdem extradotalibus bonis agere poteſt *ex l. maritus* 21 *C. de procurator.* tanquam legitimus adminiſtrator: res enim uxoris extra dotem conſtitutas maritus ipſo jure permittente adminiſtrat *l. maritus* 95 *D. ad leg. Falcid. l. Titia* 34 *§. Titia D. de legat. 2, & l. 3 C. ne uxor pro marito.* Præterea

tereaque bona antidotalia, quæ ex dotalitio, seu hypobolo, seu antefato poſt mortem viri uxori ſuperſtiti debentur ex ipſius viri bonis,ad rem uxoriam ſpectant.

17 „ In ambiguis pro dote reſpondere melius eſt, auctore Paullo *in l.70 D. de jur. dot.* Nam reipublicæ intereſt mulieres dotes ſalvas habere, propter quas nubere poſſunt, ex eodem Jureconſ. *in l. 2 D. eod.* Ideoque favore dotium benigniorem ſemper ſententiam amplectamur cum Ulpiano *in l. ſi ego 9 §. 1 D. eod.* aliisque Jureconſultis paſsim. Multis idcirco privilegiis, ſeu Juribus ſingularibus & ultra, & contra communes juris regulas dotes mulierum gaudent, quæ ſparſim in ſequentium capitum locis opportunis animadvertere, atque in poſtremo capite in unum colligere par eſt.

CAP. II.

DE PERSONIS AD DOTANDUM OBLIGATIS.

1 *Patri primum incumbit onus dotandi filias.*

2 *Nedum juſtis ex nuptiis ortas, ſed etiam adoptivas.*

3 *Et emancipatas.*

4 *Et naturales.*

5 *Non vero ſpurias.*

6 *Sed natas ex juſtis nuptiis etiam divites, alias nonniſi egentes.*

7 *De ſuo pater filiam dotare cogitur, quamvis ad promiſſam quantitatem adventitia filiæ bona ſufficiant.*

8 *Niſi dotem gener dederit cum pacto eximendi ſocerum.*

9 *Nuptæ filiæ dote non promiſſa pater adhuc dotem præſtabit.*

10 Pro

10 *Pro ſecundis etiam nuptiis, ſi prima dos periſſet ſine culpa filiæ.*

11 *Intra 25 annum filia ſine patris conſenſu nubens a patre dotem non obtinet.*

12 *Etiamſi emancipata, vel vidua ſic nupſerit.*

13 *Dummodo requiſitus pater irrationabiliter non diſſenſerit.*

14 *Poſt 25 annum nubens filia ſine patris auctoritate dotem petit.*

15 *Niſi marito infami & ignominioſo ſe copulaverit.*

16 *Ob ingratitudinem filiæ dotem pater non ſolvit.*

17 *Et ob inopiam ſuam.*

18 *Realis, non perſonalis eſt paterna dotandæ filiæ obligatio.*

19 *Heredes patris filiam dotare coguntur.*

20 *Paragium a legitima nil fere differt, niſi in quantitate.*

21 *Avus deinde paternus ad dotem realiter obligatur.*

22 *Fideicommiſſi aſcendentium bona pro dotandis deſcendentibus in ſubſidium alienantur.*

23 *Invalida eſt fideicommiſſi deminutio, ubi libera bona, vel fructus ſuppetant.*

24 *Feudatarius proximiorem fœminam a feudo excluſam dotare debet, & ſine aſſenſu regio bona feudalia in Regno doti obligat.*

25 *Mater in ſubſidium paternis deficientibus bonis dotabit filiam.*

26 *Pater ſimul & mater dotem promiſcue promittentes pro rata cujuſque bonorum contribuunt.*

27 *Matris, donec vivit, perſonalis, & ſubſidiaria eſt obligatio dotandi: eaque mortua evadit realis & directa.*

28 *Ad maternos aſcendentes gradatim **devolvitur eadem** obligatio.*

29 *Tum ad fratres.*

30 *Filius etiam aliquando matrem ſecundò **nubentem** dotat.*

31 *Exceptis parentibus, aliorum obligatio eſt perſonalis.*

32 *Violatam virginem deflorator dotabit.*

33 *Seipſam quoque ſponſa dotat.*

34 *Indotatam vir accipere poteſt uxorem.*

35 *An dote non promiſſa marito bona uxoris omnia debeantur dotis nomine.*

36 *Curator dandus eſt ad dotem puellæ vel nupturæ, vel nuptæ ex ipſiuſmet bonis conſtituendam.*

37 *Cura dotis duntaxat, non nuptiarum ad Curatorem pertinet.*

38 *Extranei tandem promiſſores, aliique ex legato debitores dandis dotibus obſtringuntur.*

1 PAtris eſſe primam & præcipuam obligationem dotandi filiamfamilias, nemo eſt qui neſciat ex *l. ult. C. de dot. promiſs.*, adeout ſi liberos, quos parens habet in poteſtate, injuria prohibuerit vel ducere uxores, vel nubere, aut dotem dare noluerit, per Magiſtratum Loci cogatur in matrimonium collocare, & dotare *l. capite* 19 *D. de rit. nupt.* Utrumque enim eſt paternæ pietatis, & voti, & officii ex Ulpiani verbis *in l. heres* 21 *D. ad S. C. Trebell. & d. l. ult.* Ideoque ubi ætas & pudor puellæ nupturæ flagitat, pater ad conſtituendam dotem in judicio compellendus eſt.

2 Et non modo filias juſtis ex nuptiis progenitas, ſed adoptivas etiam, & legitimas duntaxat eſſe dotandas per patrem, qui eas in poteſtate habet jure ſuo-

adoptionis, ſatis expreſsit Marcianus *in cit. l. capite.* Eaque de re adoptivum patrem, ſi dotem ipſe dedit, habere repetitionem ejus, tanquam dotis profectitiæ, cenſuit Julianus *in l. profectitia 5 §. 13 D. de jur. dot.*

3 Emancipatæ itidem filiæ dotem profectitiam patrem dare debere paterno ex officio compertum eſt *ex dict. l. profectitia §. 11.* „ Quia non jus patriæ poteſtatis, (quam ſolvit emancipatio) „ ſed parentis nomen do- „ tem profectitiam facit, ut ratiocinatur ibidem Ulpianus. Et quum pater curator filiæ juris ſui effectæ, puta per emancipationem, dotem pro ea conſtituiſſet, magis eum quaſi patrem id, quam quaſi curatorem feciſſe putavit Papinianus ibidem laudatus. Potentius quippe eſt naturale pietatis paternæ officium, quod in dubio is adimpleviſſe præſumitur, quam accidentale curatoris filiæ emancipatæ. Hinc ſi pater filiæ nomine dotem promiſiſſet, eamque ante nuptias emancipaſſet, non reſolvi promiſſionem; atque ſi ante nuptias pater moreretur, adhuc ejus heredes ex promiſsione obligatos manere, reſpondit Julianus *in l. ſi pater 44 D. de jur. dot.*

4 Naturales autem patres ad dotandas filias, extra matrimonium ſuſceptas, minime compelli civili Romanorum jure, arguunt Doctores ex reſponſo Scævolæ *in l. uxorem 41 §. 11 D. de leg. & fideicom. 3*: ubi pater naturalis filiam dotans Juriconſulto videtur animum habuiſſe compenſandi fideicommiſsi debitum; minime vero donandi & conſtituendi ex liberalitate dotem, ut notat Gothofredus ibidem, *& in l. 19 D. de rit. nupt.* Nihilominus per Nov. 39 filiabus etiam naturalibus dos ex bono & æquo ad boni viri arbitrium debetur ſubsidiaria duntaxat; eo videlicet caſu, quo pauperes fuerint, eiſque aliunde proviſum non ſit. Et quidem ex paternis bonis non modo profanis, ſed ex redditibus quoque eccleſiaſticis, ſi pater fuerit clericus: propterea quod in locum alimentorum

dos ſuccedit, Cardin. de Luca *in ſumma de dote n.* 23.

5 At ſpurias dotandi onus non impoſitum eſt incertis patribus, qui nec alere quidem eas coguntur: ipſæ etenim ſparſim conceptæ, quum non valeant patrem certum demonſtrare, jus ideo quæſitum & clarum non habent petendi aliquod a generatoribus ſubſidium, nec ullam ex hereditate illorum portionem. Ulpianus (*tit.* 4 *de his qui ſui juris ſunt* §. 2) profecto *ſpurios* ſpeciali notione appellavit, qui matre quidem certa, patre autem incerto nati ſunt. Hinc vulgo quæſita ſpuria, quæ matrem ſequitur, Celſo duce *in l. quum legitimæ* 19 *D. de ſtatu hominum*, dotem a matre, non ab incertis generatoribus poſtulabit. Aliter tamen dicendum eſt de illa ſpuria, quæ patrem certum, quamvis illegitimum demonſtrat. Namque a Modeſtino *vulgo concepti* dicuntur, & ſpurii appellantur non ſolum, qui patrem demonſtrare non poſſunt; verum etiam qui poſſunt quidem, ſed eum habent parentem, quem habere non licet *l. vulgo concepti* 23 *D. de ſtatu hominum* (1). Quumque Alex. III *in cap. cum haberet* 5 *de eo qui dux. in matr. qu. poll. per adult.* patrem *omnia neceſſaria* filiis adulterinis, & inceſtuoſis ſubminiſtrare debere contra civilis juris rigorem, & præſertim Juſtiniani Nov. 83 *c ult.* unde ſumta eſt Auth. *ex complexu C. de inceſtis nuptiis*: quo jura filiorum naturalium natis ex damnato coitu auferebantur: receptam hoc in Regno fuiſſe æquitatem juris canonici, & naturalis, teſtatur Præſes de Franchis *dec.* 283 *n.* 11, ſcribens ex una-

(1) Eamque ob rem Hotmanus *in com. ver. juris* quinque ſpecies *ſpuriorum* ex Jureconſultorum fragmentis connumerat: ex concubinatu ſcilicet, [illegible] ſcortatione, ex ſtupro, ex adulterio, ex inceſtu. Idemque ex Plutarcho obſervat apud Romanos ſpurium a filio ſine patre certo adeo diſtinctum, ut per notas duabus primariis litteris S P. ſimul junctis ſpurium ſcriberent: alios iiſdem litteris disjunctis S. P. quaſi ſine patre editos dicerent,

unanimi Doctorum conſenſu *in cit. cap cum haberet*, quod pater cogatur dotare filiam ſpuriam : multoque magis dotare, quam alere, ne in opprobrium patris, familiæve cogatur meretricari : hocque onus tanquam reale tranſire ad heredem patris ſpuriæ, ibidem firmavit ex ſupradictis *dec.* 178 *n.* 6.

6 Hoc tamen diſcriminis intereſt inter dotandas filias ex legitimis conjugibus ortas, & naturales tantum, quod his in ſubſidium & nonniſi egentibus dos conſtitui debeat : legitimis autem & naturalibus filiabus paterna dos competit, etiamſi divites fuerint, boniſque adventitiis affluant, ut eiſdem de optimo marito conſulatur, *l. ult. C. de dot. promiſſ.* Dos profecto in locum legitimæ portionis quum ſucceſſerit, filiæ quoque diviti debetur, ideoque confertur in paternæ hereditatis diviſione, & imputatur in quartam ad excludendam inofficioſi querelam ex reſcripto Imp. Zenonis *in l. quoniam* 29 *C. de inoffic. teſtam.*

7 Et ubi filiam ſuam pater dotaverit, reticendo quibus ex bonis quantitatem promiſſæ dotis conflaverit, præſumitur in dubio eum voluiſſe obligationem potius naturalem ſuam ſolvere, quam extraneam, accidentalemque adminiſtrationis bonorum filiæ juxta laudatam Papiniani ſententiam ſupra *n.* 3. Quam ultra fines æquitatis extendiſſe videtur Juſtinianus *in cit. l. ult. C. de dot. promiſſ.* exiſtimans, ut ſive ſimpliciter pater ſe dotare dixerit, ſive declaraverit ſeſe tam de ſuis, quam de aliis bonis filiam dotare ; de ſuis nihilominus bonis duntaxat dotaſſe intelligatur. Hujuſque conſtitutionis ſubtilitatem admirantur Doctorum alii, alii repugnantiam improbant. In praxi vero abſurdam & aſperam literam non ſequuntur, ſed hanc ſolummodo ſententiam, ut pater facultatibus idoneus ſuis ex bonis dotem filiæ ſemper debeat conſtituere explendi ergo ſuum officium, quamvis adventitia filiæ bona in dotem adſignet, ac genero tradat. Idque locum habebit

bit, etiamſi rem matris pater dediſſet in communis puellæ dotem, inſcia, vel invita uxore: quia uxor, ejuſve heres rem traditam vindicabit, & genero adverſus ſocerum actio competet petendi quod ſibi evictum fuerit, *l. mater* 34 *D. de jur. dotium*. Magis etenim æqua viſa eſt definitio Imperatoris Leonis Nov. 21, ut dotis promiſsio tam ex paternis, quam ex maternis bonis facta præſtetur, utque ,, ſecundum pa-,, rentis verba promiſſorum ſolutio procedat; ab ipſo-,, que ſolo, quando ſe ſolum daturum pollicitus eſt, ,, promiſſum exigatur: quando vero cum filio, ma-,, tre, aliove ſe daturum promiſit; filius, mater, ,, aliuſve etiam ſolutioni obnoxius ſit: eaque ex æ-,, qualibus partibus, quando illæ definitæ non ,, ſunt, fiat: ac tum ex inæqualibus etiam, ,, quum utrique certæ partes diverſe aſsignatæ ,, ſunt (1).

8 At vero ſi in gratiam ſoceri dotem ſponſæ maritus ipſe conſtituerit cum expreſſa obligatione eximendi & liberandi ære ſuo ſocerum indemnem a moleſtiis, quas ei filia ob profectitiam dotem ſibi debitam inferre poſſet (quod nonniſi per generum ætate, nobilitate, vel forma inæqualem fieri ſolet), pater eo caſu ab onere dotandi filiam immunis evadit ac liberatur, dotemque a ſponſo intuitu ſoceri datam ſubrogari tunc in locum dotis profectitiæ tenet Card. de Luca *diſc.* 142 *de dote n.* 6. Secus tamen eſt, ubi ad compenſandam duntaxat ſpecioſæ, vel nobilis, vel adoleſcentulæ ſponſæ inæqualitatem ſine ullo ſoceri intuitu ſponſus dotem dederit, & ſocer idoneus ſolvendo ſit: tunc enim ad dotandam filiam de ſuis etiam bonis pater jure compellendus adhuc eſt, de Franchis *dec.* 119 *in princ.* Hancque

(1) Quid tamen inter Neapolitanos jus conſuetudinarium ſtatuerit in promiſcua utriuſque parentis promiſſione dotis, dicetur infra num. 6.

Hancque deciſionem cum ejuſmodi diſtinctione intelligendam opinatur idem Cardinalis *loc. cit. n.* 7.

9 Nuptæ etiam filiæ dotem præſtare pater cogitur, dummodo eo conſentiente nupſerit, quum duplex paternum ſit officium & filiam collocare, & congruam dotem ſolvere *cit. l. capite* 29 *D. de rit. nupt.* atque non modo ut virum inveniat mulier, & alatur ab ipſo; verumetiam ut conjuges ambo levius ferant onera conjugalia, dos datur *l. pro oneribus* 20 *C. de Jur. dot. & cap. ſalubriter* 16 *de uſur.* prætereaque ut a marito magis diligatur uxor, quum mulier indotata facile per virum deſpiciatur, atque per injuriam e domo expellatur *l. ult. D. ad S. C. Vellejan.* & Nov. 22 *cap.* 18.

10 Quinimmo ſi primarum nuptiarum dos deperiſſet ſine culpa mulieris, aliam ſubſidiariam pro ſecundis nuptiis, non autem conſtante eodem priori matrimonio, dare dotem filiæ patrem oportet, Card. de Luca *de dote in ſum. n.* 31. Et quamvis dos profectitia ad patrem jure patriæ poteſtatis, ſive pactionis expreſſæ redeat; non tamen is poterit dotis quantitatem deminuere, niſi forte ſubſtantia ſua decreſcat ob aliquam fortuitam cladem: tunc enim amplius ſecundo marito in dotem præſtare non cogitur, niſi quantum facultates ejus patiuntur, Auth. *ſed quamvis C. de rei uxor. act.* ex Nov. 97 *cap.* 5.

11 Si tamen inſcio, vel invito patre filia intra vigeſimum quintum ætatis annum nupſerit, tunc non poteſt dotem, nec partem hereditatis paternæ petere ob ſpretam patris reverentiam ex Nov. 115. Eamque juvari non poſſe beneficio coſtitutionis hujus Regni, quæ incipit *minorum Jura*, reſtringentis minorum ætatem ad decimum octavum annum, obſervat Cardinalis de Luca *dict. diſc.* 142 *n.* 10.

12 Idque obtinet nedum in filiafamilias exiſtente ſub patria poteſtate, ſed in emancipata etiam natu minori,

quæ nec primas, nec ſecundas nuptias ſine conſenſu patris inire poteſt ex *l. vidua* 18, *&* *l. in conjunctione* 20 *C. de nuptiis*; aliter quam filius emancipatus, qui uxorem ducit parentibus irrequiſitis, invitiſque ex regula Modeſtini *in l. filius* 25 *D. de rit. nupt.* (1).

13 Hoc tamen intelligendum eſt locum habere, quotiens pater nuptiis filiæ natu minoris diſſenſerit rationabili ex cauſſa: puta ſi alium ipſe virum magis qualificatum ſyncero animo, bonaque fide præoptaverit filiæ ſuæ invenire, vel repertum dare. Secus vero dicendum eſt, ſi pater avaritiæ ſtimulis, vel inofficioſa maſculorum prædilectione affectus, conſenſum ſuum accommodare non ſemel, ſed bis, pluriesve renuerit nupturæ filiæ, per ſponſos æqualis conditionis, dignoſque volitæ, ut ſic eam a nuptiis ſenſim in perpetuum amoveret: aut ſi imperaverit maritum ducere infamem, propudioſum, criminoſum, poſthabito ſponſo idoneo, dignoque: tunc porro ob præcepti turpitudinem non eſſe parendum patris juſſo diſſeruit A. Gell. *lib. 2 cap.* 7. His quippe caſibus paternum officium ſuppleb t judex competens, cujus intereſt cavere, ne patres prohibeant filias ſuas nubere, illoſque prohibentes ad dotandum compellere: quum prohibere videatur, ubi conditionem ſtatus conjugalis filiæ nupturæ nedum non quærit, ſed oblatam rejicit, juxta reſcriptum Impp. Severi, & Antonini, regulamque Mar-

(1) Ubi Gothofredus me alias fefellerat, ſcribens idem juris in emancipata filia, quod in maſculo emancipato eſſe quoad conſenſum patris in a terutrius conjugio: atque laudans ad id probandum *argum l.* 10.*C. de nupt.* quum tamen hac in lege Impp. Honorius, & Theodoſius rotundis verbis reſcripſiſſent: „ ſi ſui juris puella ſit intra quin„ tum & viceſimum annum conſtituta, ipſius quoque patris aſſenſus „ exploretur. Et conſentanee prius definiverant Valent. Valens & Gratian. *in præcedenti l.* 8. „ Viduæ intra quintum & vigeſimum „ annum agentes, etiamſi emancipationis libertate gaudent; tamen „ in ſecundas nuptias ſine patris ſententia non conveniant.

Marciani *in cit. l. capite* 19 *D. de rit. nupt.* Quod eo vel maxime curare debent Judices Chriſticolæ ab Apoſtolo edocti melius eſſe nominibus nubere, quam uri. Quandoquidem EccleſiaDei non minus filiorumfamilias nuptias ſine conſenſu parentum initas deteſtatur, quam odit tyrannidem eorum parentum intolerabilem, qui liberos invitos cogunt ad eligendum ſtatum voluntati ſuæ adverſantem, vel ad ducendum conjugem exoſum: ideoque Synodus Tridentina *ſeſſ.* 24 *cap* 1 *de reform. matr.* favet eatenus libertati filiorumfamilias, ut validum ſane matrimonium contrahant ſine parentum auctoritate; ſed non debeant ſine juſta cauſa in ducendo conjuge paternam poteſtatem ſpernere. Quod profuſiori calamo ediſſerimus *lib.* 1 *Inſtit. Civil. tit.* 10 *de nupt.* Conſequens exinde eſt non poſſe filiam digne nubentem intra ætatem legitimam a parentibus dignas nuptias irrationabili conſilio impedientibus contra naturalem & evangelicam libertatem exheredari, nec dote congrua privari, ut cum permultis Doctoribus concludit Sanchez *lib.* 4 *de matr. diſput.* 25 *n.* 2. Dummodo minor filia aliunde bona ad dotem ſufficientia non habeat, quæ adſignare viro etiam digniſſimo in dotem poſsit: vel niſi cum indigno nupſerit, gravemque injuriam patri, & familiæ intulerit per nuptias impares atque odibiles, juxta limitationes ab eodem Doctore allatas *in ſeq. diſp.* 26 *n.* 18.

14 Poſt vero vigeſimum quintum annum filia diſſentiente patre nubens regulariter paternam dotem jure petit, Nov. 115 *cap* 3, unde ſumta eſt Auth. *ſed ſi poſt C. de inoff. teſtam.* Etenim patris culpæ imputat Juſtinianus, quod filiam intra ætatem legitimam collocare in matrimonium neglexerit; non vero ad filiæ ingratitudinem, ſi ea cum marito libero ſe conjunxerit, tametſi non æqualis conditionis. Ideoque ipſi dotem petenti non officiet qualitas indignarum nuptiarum ob exceſſum ætatis legitimæ ex eadem Nov. 115. Nec enim

minus in hoc negotio prudens Judex, qui de præſtanda dote cogniturus eſt, merita filiæ nuptæ, maritique inæqualis, quam patris ejus delictum & negligentiam culpabilem perpendet cum Ulpiano *in l. non tantum §. 5 D. de bon. poſſeſſ. contra tabulas*.

15 At vero ignominioſum, infamem, turpemque maritum ducere nequaquam licitum eſt filiæ, quæ vigeſimum quintum ætatis annum exceſſerit, neque adeo indignas nuptias contrahere, quæ proſtitutioni æquiparentur, maximamque familiæ ſuæ injuriam inferant. Id enim permittere non intendit unquam Juſtinianus, quinimmo id ſatis prohibuit ex eo, quod filiæ natu majori facultatem tantummodo indulſit ſeſe in matrimonium collocandi ſine conſenſu parentum cum marito *libero*: ſatis hoc vocabulo innuens prohibitionem contrahendi cum ſervo, aliove infami & crimino ſo homine, dicta Nov. 115 *cap.* 3. Iſtamque poſteriorem Imperatoris conſtitutionem non aliter interpretari debemus, niſi ad tramites præcedentis Juris communis, & quidem æquiſsimi, quod Ulpianus explicuit *in l. ſi non tantum* 3 §. 5 *D. de bonor. poſſeſſ. contra tabulas*. Ubi traditur emancipatum filium ſine voluntate patris uxorem ſibi eligere poſſe, non tamen tam ignominioſam, ut dedecori ſit & ipſi, & parentibus, & familiæ: alias jure exheredabitur tanquam ingratus, & ſplendorem ſanguinis, honeſtatemque domus ſuæ corrumpens. Similiter ergo filia, quæ ob exceſſum ætatis legitimæ libertatem acquirit ſemetipſam nuptui non adhibito patris conſenſu tradendi, non debet adeo turpi marito ſeſe conjungere, ut honeſtatem familiæ ſuæ dedecoret, niſi malit paternam dotem, legitimamque partem hereditatis parentum amittere, & exheredationem juſtam promereri. Duplicis hinc generis habentur nuptiæ indignæ & impares. Alterum quippe proſtitutionem præſefert, quotiens nobilis puella homini plebejo, vel infami, vel

injurioſo copuletur. Alterum vero aliquam duntaxat inæqualitatem continet, ſed non maximam turpitudinem: puta ſi vir ducatur ejuſdem ferme conditionis, licet pauperioris, vel inferioris ordinis. Hujuſce generis nuptias impares permiſiſſe videtur Juſtinianus filiabus natu majoribus, non autem alteras prioris generis. Si enim duo obſervare debet & colere filiafamilias, honorem ſcilicet parentibus debitum, & honeſtatem, ut palam eſt; diſpenſata in uno propter exceſſum ætatis, culpamque paternam, nullo jure cenſetur diſpenſationem obtinuiſſe ab honeſtatis obſervantia, quæ juris eſt divini & naturalis præceptivi, ideoque immutabilis.

16 Ingratis præterea filiabus (1) ex quolibet ingratitudinis capite, quod exheredationi juſtæ inferendæ ſufficit, pater dotem denegare poteſt, Nov. 22 *cap.* 21. Quemadmodum & alimenta, quæ juſtas ob cauſas filio non debentur: ut enim Ulpianus tradidit, judex exiſtimare debet, num habeat aliquid parens, quod merito filios ſuos nolit alere: & Trebatio Marino reſcriptum fuit merito patrem nolle filium alere, quod eum detulerat in criminali judicio *l. ſi quis a liberis* 5 §. *idem judex* 11 *D. de liberis agnoſcendis*. Ab alimentis autem ad dotem valere argumentum multis comprobat Everardus in topicis ſuis, Th. Sanchez *de matrim. lib.* 4 *diſp.* 26 *n.* 1, & Sacrum Conſilium Neap. penes Afflictum *dec.* 111 *n.* 10. Ne igitur propter certam ſubſidii dotalis ſpem contra parentes inſurgant, neque protervi ores fiant filiæ, parentes minime cogi ad ingratas dotandum, ſatis innuit Juſtinia-

nus

(1) At patrona dotem pro liberta jure promiſſam, quod ex ea ſit ingrata, non retinebit, ex Papiniani ſententia *in l. cum poſt divortium* 69. *D. de jur. dot.* Eoque minus dotem datam condicet ex cauſa ingratitudinis, *l. ſi dotem* 24 *C. eod.*

nus dicta Nov.22 *cap.27 in fine*, & exinde id aperte infert Gothofredus *ibid. verſ. ne forte*.

17 Ære alieno obrutus & inops pater adeo dotare filiam non debet, ut ſi ei dotem conſtituerit, in fraudem creditorum id egiſſe judicetur. Ideoque, ſi a ſocero fraudatore ſciens gener acceperit dotem, tenebitur actione Paulliana eam reddere creditoribus, ut reſpondit Venulejus *in l. ſi fraudator 25 D. quæ in fraudem creditorum*. Et filia dotata fraudatis creditoribus tenetur cedere actiones de dote adverſus maritum ex Ulpiano *in l. hac in factum* 14 *D. eod. tit.*

18 Realis eſt, non perſonalis obligatio patris dotandi filiam: ideoque perſona patris vel impedita, vel deficiente, bona ejus adhuc remanent obligata, & cum eodem onere ad alios tranſeunt. Conſequens exinde eſt, quod ſi patrifamilias interdicta ſit bonorum adminiſtratio, datuſque curator ob prodigalitatem vel furorem mentis; dotem curator dabit, vel dare cogetur congruam: aut ſi captivus apud hoſtes manſerit, dotem Magiſtratus decernet *l. 5 §.1 D. de jur. dot.* Præterea que ſi filiusfamilias pecuniam mutuo acceptam pro dote ſororis ſuæ perſolverit, pater de in rem verſo ei, qui mutuavit, tenetur *l. filiusfamilias 17 D. ad Sen. C. Maced.* Eoque magis ex publicatis bonis Fiſcus dotem filiæ debet præſtare: quandoquidem Imp. Severus filiæ Flavii Athenagoræ, cujus bona fuerant publicata, de Fiſco numerari decies centena dotis nomine juſſit *l. cum de in rem verſo 6 §. un. D. de uſuris*.

19 Eodemque jure ad paternos heredes tranſit ſecundo loco dotandæ filiæ onus pro modo facultatum, & conditione perſonarum. Quandoquidem pater moriens ſive teſtatus, ſive inteſtatus relinquere debet filiabus congruam dotem *de paragio*, ut noſtrates ajunt, quæ in locum legitimæ ſuccedit, ejuſque naturam, privilegia, & libertatem ſortitur juxta receptam Regnicolarum ſen-

ſententiam, de Franchis *dec.* 559, *&* 618. Capyc. latr. *dec.* 92, & Galeota *lib.* 2 *controv.* 15, *&* 16. Exinde fratres hoc in Regno excludentes ab hereditate parentum ab inteſtato morientium ſorores ſuas, tenentur eaſdem dotare de paragio ex notiſsima Regni conſt. *in aliquibus ſub tit. de ſucceſſ. Comitum, vel Baronum*, & Neapolitana conſuetud. *ſi moriatur aliquis tit. de ſucceſſ. ab inteſt.*

20 A legitima paragium nil fere differt, uti obſervat Cardinalis de Luca *diſc.* 113 *de dote n.* 6, *& alibi*, niſi in ſola quantitate, quæ & major quam legitima in patrimoniis modicis, & minor in magnis eſſe ſolet: dummodo major non excedat portionem virilem, quæ jure communi ad fœminam una cum maſculis ex æquo ſuccedentem pertineret; alias municipalis conſtitutio in favorem maſculorum introducta retorqueretur in eorum odium & damnum contra generale Modeſtini axioma *in l. nulla juris* 25 *D. de legibus*, & Bonifacii VIII *in cap. quod ob gratiam* 61 *de reg. jur. in* 6. Et Sacrum Conſilium penes Afflict. *dec.* 160 unanimiter cenſuit paragium ſororis innuptæ ultra legitimam eſſe, inſpecta quantitate patrimonii, numero filiorum, & qualitate conjugum: nuptæ vero eſſe æqualem legitimæ. Atque legitima minus eſſe non poſſe paragium tenet Rob. Maranta *in ſpec. aur. diſp.* 10, *& ult. n.* 23. Profecto in quartam legitimam imputari & conferri dotem filiæ præcepit Leo Imperator, & poſt eum Zeno *in l. quoniam* 29 *C. de inoff. teſtam.* Tametſi vivens pater poteſt congruam filiabus dotem etiam inæqualiter adſignare ſine ullo reſpectu ad legitimam, quæ filiis, donec ipſe vixerit, non debetur: nec jure poterit ea, quæ minorem dotem a patre acceperit, ſupplementum petere ad æquandum paragium alteri filiæ datum, Andr. de Iſern. in dict. conſt. *in aliquibus col. ult.* Marant. *loc. cit.* & Urſill. ad Afflict. *in cit. dec. n.* 3. Paragium itaque accipitur pro dote congrua paribus dari

dari conſueta, quæ a jure quidem taxata non eſt, ſed pendet ex cujuſque loci moribus, conditione perſonarum, dignitate ſponſi, & quantitate tum patrimonii dotantium, tum dotis ſolitæ conſanguineis ſponſorum conſtitui *l. cum poſt divortium* 69 §. *nuptiis* 5 *D. de jur. dot.*

21 Poſt patrem, ejuſque heredem ſuccedit realis quoque obligatio *avi*, aliorumq; maſculorum aſcendentium ex paterno latere ad dotandas neptes, cæteraſque deſcendentes *l. dotem* 6 *D. de collat. bonor.* ubi Celſus docet officium avi erga neptem ex officio patris erga filiam pendere. Et Marcianus generatim definivit eos, qui liberos habent in poteſtate, cogi debere ad collocandum in matrimonium, & dotandum *l. capite* 19 *D. de rit. nuptiar.* Neque avum paternum ab onere ſolvendæ dotis unquam eximet pactum, quod ipſe dotem nepti ex filio dicens appoſuerit, ne a ſe, neve a filio ſuo dos peteretur, ut laudatus Celſus cenſuit *in l. avus* 33 *D. de pact.*

22 Proinde fideicommiſſarii etiam, ſeu poſsidentes bona fideicommiſſo tam univerſali, quam particulari, vel primogenituræ, vel majoratui ſubjecta debent dotem conſtituere fœminis omnibus a fideicommittente deſcendentibus tam pro primis, quam ſecundis nuptiis, in ſubſidium: videlicet, ubi dote congrua ex paternis bonis deſtituantur, & aliunde ipſis proviſum non ſit *l. mulier quæ* 22 §. 4 *D. ad S. C. Trebell.* ubi ſic Ulpianus.,, Quum proponeretur quidam filiam ſuam ,, heredem inſtituiſſe, & rogaſſe eam, ut ſi ſine libe- ,, ris deceſsiſſet, hereditatem Titio reſtitueret; eaque ,, dotem marito dediſſe certæ quantitatis, mox dece- ,, dens ſine liberis heredem inſtituiſſe maritum ſuum, ,, & quæreretur an dos detrahi poſsit? Dixi non poſſe ,, dici in everſionem fideicommiſsi factum, quod & ,, mulieris pudicitiæ, & patris voto congruebat: qua- ,, re dicendum eſt dotem decedere, ac ſi quod ſuper-

,, fuiſſet,

„ fuiſſet, rogata eſſet reſtituere: quod ſi tantos fructus
„ ex hereditate mulier percepit, ut inde potuerit doti
„ ſatisfieri; dicendum eſt potius fructibus hoc expen-
„ ſum ferendum, quam fideicommiſſo. Pariter ſi puella nuptura heres fiduciaria ſit, atque ad dotem ſibi conſtituendam Trebellianica portio non ſufficiat, eam ſibi retinere, & excipere de rebus fideicommiſsi congruum ſupplementum poſſe, indulſit Juſtinianus Nov. 39 *cap.* 1. Quemadmodum quoque ſi liberis portio legitima parentum non ſufficit ad dotis ſive donationis propter nuptias obligationem, permittitur res prædictas fideicommiſſi in eam cauſsam alienare, vel obligare pro modo honeſtati perſonarum congruo, Auth. *res quæ ſubjacent reſtitutioni C. commun. de legat.* ex cit. Nov. 39 *cap.* 1. Ratio autem ea eſſe videtur, vel quod fideicommittentes, ſi viverent, cogerentur officio Judicis ad puellam deſcendentem congrue dotandam commiſeratione ſexus muliebris, cui leges favent, ceu propagandæ Reipublicæ neceſſario, Auth. *res quæ C. communia de legatis*: vel, ut alii conjiciunt, ex veriſimili & præſumta pietate ipſius fideicommittentis erga neptes, aliaſve ſuas deſcendentes, quæ dote indigeant ad pudori fœmineo conſulendum, Reg. de Roſa *in prax. civ. cap.* 9 *n.* 11. Et quamvis hoc in Regno Prag. 1 *de vinculis ſeu conditionibus in contractibus vel teſtamentis appoſitis* conſtituiſſet, ne prætextu utilitatis poſterorum, neceſſitatis, vel pietatis, diſpoſitiones teſtamentorum, vel fideicommiſſorum ſubverterentur; iſthanc tamen conſtitutionem locum non obtinere in conſtituenda dote, & cauſsa alimentorum, refert deciſum in S. C. citatus de Roſa *cap.* 9 *n.* 19. Quandoquidem in praxi M. C. Vicariæ paſſim relaxat decretum *Expedit* pro poſſeſſoribus fideicommiſſorum volentibus pauperes fœminas deſcendentes dotare ex bonis fideicommiſſariis; niſi bona libera extent. Etenim debent fructus bonorum fideicommiſſi prius attri-
bui;

bui; iiſque non ſufficientibus, ex fideicommiſſi corporibus ſeu capitalibus petendum eſt ſupplementum. Regulariter autem ſolet in hiſce caſibus prudens judex alienationem bonorum fideicommiſſi permittere atque adprobare, reſervato jure redimendi, & reintegrandi fideicommiſſum intra congruum tempus arbitratu ſuo præfiniendum.

23 Eamque ob rem, si extantibus bonis liberis capitalia fideicommiſſi alienentur, actus erit invalidus. Juſtinianus enim nullimode conceſſit ob augmentum dotis mediocris ad circumventionem legis fieri insidias & fraudes reſtitutioni fideicommiſſorum, ſed immo læsionem fideicommiſſi irritavit in cit. Nov. 39 *cap.* 1 *in fine*. An autem bona libera extiterint, nec ne, actoris eſt probare in judicio. Nam si mulier petat, ut sibi dos conſtituta, & promiſſa ſolvatur ſuper fideicommiſſi bonis, & viciſſim poſſeſſor fideicommiſſi excipiat bona libera ſuppetere, unde congruam habere dotem valeat; ipſa probare debet bonorum liberorum deficientiam. Si autem e contrario poſſeſſor fideicommiſſi vindicare cupiat bona fideicommiſſaria, quæ mulieri tradita ſint, nullitatem traditionis prætendens ob exiſtentiam bonorum liberorum; is bona libera, & ſufficientia extitiſſe probabit, ex eo juris axiomate; quod probandi onus affirmanti incumbat, non autem neganti, *l. ei 2 D. de probat. & l. in exceptionibus 19 D. eod.*

24 Remotior item agnatus ad feudum rectum ex conſuetudinibus feudorum communibus ſuccedens, ad dotandam ex æquitate obligatur fœminam, quæ nisi ſexus obſtaret, in eodem feudo eſſet ſucceſſura, quemadmodum notat Cardinalis de Luca *in ſumma dot. n.* 43. Nisi enim ex pacto & providentia inveſtituræ, ſeu ex ſpeciali domini gratia fœminæ ad feudi ſucceſſionem quoque vocatæ sint, jus commune eas omnino excludit, deficientibus etiam maſculis propriæ lineæ,

cap. ſequitur de ſucceſſ. feudi lib.1 feud. tit. 3. Cui conſonat lex Salica, ſecundum quam nulla portio hereditatis in mulierem pertransit, *l. 6 ſub tit. de allodiis* apud Balutium. Quod plenius ediſſerimus *in tract. de feudis tit. de ſucceſſ. ab inteſt. feud.* Hoc tamen in Regno fœminæ a linea primogeniti deſcendentes, ubi deficiant maſculi ex propria linea, ſuccedunt in feudo exclusis maſculis aliarum linearum proximioribus: propterea quod inveſtituræ hanc de ſtylo continent clauſulam, ut feudum concedatur tibi, & filiis de tuo corpore deſcendentibus generatim sine fœminarum excluſione. Exiſtens vero maſculus de linea ultimi poſſeſſoris excludit ſororem, licet primogenitam a feudi ſucceſſione, cum onere tamen dotandi eam de paragio ex cit. conſt. *in aliquibus tit. de ſucceſſ. Comitum & Baronum*. Et licet jure communi ſuper bonis feudalibus dos conſtitui sine regio aſſenſu non poſſit poſſidentis feudum filiabus etiam, vel ſororibus in præjudicium vocatorum: nisi pro fœmina immediate ſucceſſura ad feudum, vel ſeipſam dotante, dum feudum ipſa poſſideat: hoc tamen in Regno Neapolitano viget gratia Ferdinandi Catholici per Carolum V, & Philippum II confirmata & ampliata, per quam in dotalibus inſtrumentis nuptiarum per cives Neapolitanos contrahendarum conceſſus generaliter intelligatur aſſenſus regius ſuper feudalium bonorum obligatione pro dote conſtituenda, vel reſtituenda, & etiam pro dotario ſeu antefato. At generalis omnium bonorum obligatio feudalia non comprehendit sine expreſſa conventione.

25 In iſtorum defectum onus dotandi transit ad matrem *l. neque mater* 14 *C. de jur. dot.* ubi definitum eſt, quod mater pro filia dotem dare non cogatur, nisi ex magna & probabili cauſa. Major autem & probabilior cauſa dari nequit, quam neceſſitas filiæ nupturæ dotem aliunde non habentis. Quemadmodum enim mater pietate cogente de ſuo præſtare debet alimenta fi-

liis *l. Neſennius* 34 *D. negot. geſtorum* ; ita & dotem ſubſidiariam egenti filiæ. Et quamvis hæretica mater ſit, ea cogenda eſt filiam orthodoxam dotare ſecundum vires patrimonii *ex l.cognovimus* 19 *C.de hæret.* Quin ante patrem eſſe cogendam matrem hæreticam, vel Judæam filiæ dotem conſtituere, ſcribit Card. de Luca *in ſumm. dot. n.* 40. Itemq; mater dotem ſuam vel in totum, vel ex parte pro dotanda filia communi ſimul cum patre & promittere, & dare poteſt *l. ſive uxor* 34 *D. de donat. int. vir. & uxorem*, ubi Ulpianus cenſuit res marito ab uxore nulliter donatas poſſe conferri in dotem filiæ communis promittente uxore, & ſequente uxoris conſenſu valere dotis dationem. Inſcia tamen, vel invita uxore vir nequit communi filiæ in dotem dare, nec promittere rem uxoris, ex reſponſo ejuſdem Jurec. *in cit. l.mater* 34 *D.de Jur. dot. & l. neque mater* 14 *C. eod.*

26 Ad rem hanc Neap. conſ. *ſi conſtante tit. de contract. int. vir. & uxor.* cavit filiam poſſe de communibus utriuſque parentis bonis dotari, dotemque maternam (ſi mater ad filiam dotandam cum patre concurrerit) ipſo jure deminui pro ea quantitate certa, quam mater ipſa in dotali inſtrumento expreſſerit. Quod ſi certam quantitatem non deſignaverit, ſed confuſe & promiſcue dotem filiæ promiſerit, dederitque una cum patre; tunc pro concurrenti utriuſque dotantis bonorum quota fiet proportionalis deminutio dotis maternæ, quatenus ſi patrimonium patris valorem e. g. centum unciarum auri attingat, materna vero bona ſummam unciarum auri quinquaginta, atque pro communis filiæ dotibus ambo parentes triginta uncias promiſcue dederint; de dotibus, aliiſque bonis maternis datæ cenſeantur decem unciæ auri. Ideoque pater, vel ejus heres maternam dotem reſtituturus viginti uncias duntaxat reddet ob ſequutam deminutionem. Ad valorem vero æſtimandum & patris, & matris bonorum &

reium

rerum dotalium. filiæ traditarum, tempus nuptiarum, filiæ attenditur (1).

27 Quouſque mater vivit, ſubſidiaria eſt ei obligatio dotandi filiam: dum ſcilicet dos congrua filiæ deficiat ex bonis paternis, vel majorum ſuorum fideicommiſſariis. At poſtquam e vivis mater exceſſerit, obligatio permanet directa & realis ſuper ejuſdem bonis qua dotalibus, qua extradotalibus: & tranſit ad filios maſculos, qui ex recepta in Tribunalibus noſtratibus ſententia non minus ab hereditate paterna juxta individuales terminos conſt. *in aliquibus*, quam a bonis maternis ex identitate rationis, filias & reſpective ſorores excludunt, cum onere tamen conſtituẽdi fœminis excluſis paragium ex bonis etiam maternis in locum legitimæ. Atque intra Neapolis diſtrictum inteſtatæ mulieri ſuccedunt æqualiter liberi ex diverſis matrimoniis orti ſine diſcretione ſexus: veruntamen portiones filiarum accreſcunt fratribus utrinque conjunctis cum eodem paragii onere, ex conſ. *ſi qua mulier tit. de muliere habente filios*.

28. Poſt matrem ſuccedit in ſubſidium obligatio avi, aliorumque aſcendentium ex linea materna, qui deſcendentes ex filia liberos vel orphanos, vel egeſtate preſſos & alere, & dotare debent, *l. non quemadmodum 8 D. de agnoſcendis liberis*, ubi ſic Marcellus: „ Non „ quemadmodum maſculorum liberorum noſtrorum „ liberi ad onus noſtrum pertinent, ita & in fœminis „ eſt: nam manifeſtum eſt id, quod filia parit, non „ avo materno, ſed patri ſuo eſſe oneri: niſi pater aut „ non ſit ſuperſtes, aut egens eſt. Et Paullus reſpondit aviam jure pietatis præſtare alimenta nepotibus *l. Neſennius 34 D. negot. geſtor.* Idque maxime firmatur exemplo alimentorum ex Novell. 117 *cap.* 7: ubi

[1] In quo diſcrepet iſtæc Neapolitana conſuetudo a Leonis Nov. 22, atque a jure communi, colliges ex dictis ſupra num. 24.

Juſtinianus filios indigentes a matre locuplete, omnibuſque utriuſque ſexus aſcendentibus nutriri & ali debere juſſit, ſi contigerit patrem minus idoneum eſſe; & quod de matre, filiiſque deſinivit, in omnibus aſcendentibus & deſcendentibus valere.

29 Tum, paternis & maternis bonis deficientibus, *fratres* utroque latere conjuncti ad germanam ſororem dotandam; deindeque fratres conſanguinei ad ſororem ex eodem patre natam, egentemque de bonis ſuis coguntur a contrario ſenſu *l. cum plures* 12 §. *pen. D. de admin. & peric. tutorum*, ubi ſic Ulpianus: „ Sed tutor non „ dabit dotem ſorori alio patre natæ, etiamſi aliter „ ea nubere non potuit: nam, etſi honeſte, ex liberali- „ tate tamen fit, quæ ſervanda arbitrio pupilli eſt. Soror hinc uterina ſecundum leges actionem petendæ dotis a fratre non habet.

30 Filius præterea, qui nulla ſcripta lege obligatur, poterit ex æquitate per judicem obligari ad conſtituendam dotem matri ſecundo nubenti, quotiens pietas filii conſulere debeat matris pulcræ & adhuc juvenis exiſtimationi & pudori *arg. l. 1 C. de alendis liberis*, quemadmodum opinatur prælaudatus de Luca *ibid. n.* 98, & Th. Sanchez *lib. 7 de matrim. diſp.* 88 *n.* 32 *in fin.* Nuptiale munus matri pupilli, vel ſorori mittere non debere tutorem, cenſuit Gaius *in l. tutor* 13 §. 2 *D. de adminiſtratione & periculo tutorum*. Quod ſi munus nuptiale is matri pupilli miſerit, non eum pupillo imputaturum Labeo ſcripſit: nec neceſſaria eſſe iſta muneratio videtur Ulpiano *in l.* 1 §. 5 *D. de tutel. & rationibus diſtrahendis*. Igitur a contrario ſenſu, ubi perquam neceſſaria eſt matris juvenis dotatio de largis pupilli facultatibus, & ubi utrunque concurrit, quum ſcilicet & mater egena ſit, & filius in facultatibus poſitus; imputare tutor poterit quod impendit non minus ad alendam pupilli matrem, quam ad eam dotandam *dict. l.* 1 §. 4. Dos enim ſuccedit in-

locum

locum alimentorum, quæ procul dubio per filium locupletem & idoneum egenti matri debentur *l. ſi quis a liberis* 5 §. 2. *D. de agnoſcend. & alend. liberis*. Ceterum ceſſante neceſſitate fere non coguntur filii ſubſidia dotalia miniſtrare matri, quæ injuriam & dolorem eſt ipſis illatura, tranſiens ad ſecundas nuptias, ut obſervat Sanch. *loc. cit.*

31 Perſonalis omnino eſt obligatio fratrum,& filiorum, aliorumque bona paterna, vel materna non poſſidentium, non autem realis, adeo ut cum eorum perſona extinguatur, atque ad heredes minime tranſeat. Ulpianus enim reſcriptum eſſe affirmat, heredes filii ad ea præſtanda, quæ vivus filius ex officio pietatis ſuæ dabit, invitos cogi non oportere *dict. l. ſi quis a liberis §. item reſcriptum* 17 *D. eod.*

32 „ Si ſeduxerit quis virginem nondum deſponſatam, „ dormiveritque cum ea, dotabit eam, & habebit uxo- „ rem,ex veteri divina lege Exodi *cap.* 22, relata *in cap.* 1 *de adult. & ſtupro*. Sed Gregorius IX Sipontino Epiſcopo reſcribens *in ſeq.cap.*2 *eod.tit.*aliquatenus duritiem legis molliens maluit, ut quam ſtupravit vir, aut in uxorem habeat, aut ſi ducere eam renuerit, corporaliter caſtigatus, excommunicatuſque in monaſterio, in quo aget pœnitentiam, detrudatur. Sententia iſtæc in Regno invaluit, in quo deſlorator paſſim alternative damnatur, ut virginem ab ipſo ſine matrimonii promiſſione cognitam vel ducat in uxorem, vel dotet: ſi tamen fuerit in voto dotandi, arbitraria pœna caſtigatur, Regens de Roſa *in prax. crim. cap.* 2. Quod ſi promiſſio matrimonii ad ſtuprum acceſſerit, ad utrunque cogitur cumulative: ad dotandum videlicet, & ineundum matrimonium, & nonniſi contracto matrimonio e carceribus liberatur. Quandoquidem deſponſatio ſequitur præſtitam ſponſaliorum fidem omni jure adimplendam: dos vero pœnam commiſſi criminis. Quantitas autem ejuſmodi dotis pro

modo facultatum viri, & pro conditione mulieris ta-
xatur judicis arbitrio, & perſolvi debet puellæ deflo-
rationem perpeſſæ, etiamſi aliunde dotem congruam
habeat.

Seipſam quoque mulier nuptura vel nupta, iis de-
33 ficientibus, qui jure obſtringuntur, debet dotare,
pecuniamque dotalem ſponſo ſuo utendam fruendam
adſignare, ut onera conjugalia ferat levius. Nam „ ibi
„ dos eſſe debet, ubi onera matrimonii ſunt, ait Paullus
in l. ſi is qui 56 §. 1 *D. de jur. dotium*. Dotemque tam
ante, quam poſt nuptias & dari, & promitti poſſe ex
antedictis liquet, & *ex l. ult. C. de donat. ante nupt. & l. non
tantum* 7 *D. de tutor. & curatoribus*. Hinc filiafamilias
nuptura ex peculio, cujus adminiſtrationem habet, do-
tem viro dat, & recte exigit in caſu reſtitutionis, docen-
te Pōponio *in l. ſi filiafamilias* 24 *D. de jur. dot*. Et mu-
lierem debere de ſuo dotem dare, & adhibere matrem, quæ
ſtipularetur, Paullus propoſuit *in l. mulier* 72 §. 2 *D. eod*.
Si quis vero juramentum præſtiterit aliquam in uxorem
accipiendi, ſi tantum ipſa ei donaverit, vel doti ante de-
derit; reus perjurii non habebitur, ſi eam ſolvere no-
lentem non duxerit in matrimonium *cap. de illis au-
tem* 2 *de condit. appoſ*.

Quum vero matrimonium ſine dote, & abſque ta-
34 bulis nuptialibus conſtare poſſit *l. ſi vicinis* 9, *& l. ne-
que ſine* 13 *C. de nuptiis*, & ex ſupradictis *cap.
1 num.* 7; nedum poterit ſponſus ſine ulla do-
te uxorem ducere, ejuſque parentibus, ipſique
eidem ſponſæ obligationem dandæ dotis remittere; ſed
ſibi quoque tribuat, ſi nullam dotem ſibi conſtitui cu-
raverit, atque indotatam, inopemque acceperit mulie-
rem, Sanchez *lib. 1 de matrim. diſp.* 60 *nu. 1*. Covarr.
tom. 1 par. 1 de ſponſalibus cap. 5 n. 5.

Quum mulier viro in manum convenit, om-
35 „ nia, quæ mulieris fuerunt, viri fiunt dotis nomine,
ſcribit Tullius in topicis *num.* 21. Hic enim erat
apud

apud Quirites olim effectus præcipuus conventionis in manum. At hodie inter DD. adhuc ſub judice lis eſt, utrum bona omnia uxoris, quæ ſine pactis nuptialibus & abſque inſtrumento dotali matrimonium contraxerit, ad mariti adminiſtrationem, uſumfructum & commoditatem pro ferendis conjugii oneribus, pertineant, nec ne titulo dotis, præſertim ſi mulier marito ea tradiderit adminiſtranda (1). Bartolus *in l. ſi conſtante n.* 87 *D. ſol. matrim.* & Abbas *in cap. quemadmodum de jurejurando* abſolute opinantur bona omnia mulieris divitis jure tacitæ dotis ad maritum tradita eſſe ipſo facto per conjugium. Quam ſententiam uti falſam improbat Baldus *in l. mulier bona D. de jur. dotium*. Sed facti potius, quam juris quæſtio eſt, definienda ex rei geſtæ circumſtantiis & præſumtionibus, quæ voluntatem tacitam vel viri divitis uxorem nobilem, pulcram, juvenem ſine dote ducentis, & bona ſua omnia dimittentis ejuſdem arbitrio; vel mulieris viro æqualis conditionis, aut nobiliori, aut adoleſcentiori bona omnia in dotem tacite tradentis, valeant oſtendere. Quod ſi alterutrius voluntas non appareat, prudentis judicis erit marito non quidem univerſa uxoris bona in dotem addicere, ſed certam ex iiſdem bonis quantitatem ſtatuere pro modo facultatum, & pro dignitate perſonarum, adhibito etiam curatore, juxta regulam Celſi *in l. quæro* 60 *D. de jur. dotium*. Non enim ſolet, neque permittit honeſtas, ut vir divitem

 uxorem

(1) Nulla profecto lege prohibitum univerſa bona in dotem marito fœminam dare, reſcripſit Alexander in *l. nulla* 4 *C. de jur. dot.* Atque a muliere in dotem bona ſua omnia quandoque dari, obſervavit Paullus *in l. mulier* 72 *D. de jur. dot.* Subdens eo in caſu maritum non quaſi heredem uxoris oneribus reſpondere cogi, neque a creditoribus conveniri poſſe actionibus perſonalibus, ſed tantum realibus, quum non plus ſit in promiſſione bonorum, quam quod ſupereſt deducto ære alieno

uxorem alat, & ſolus onera conjugii ſuſtineat ſine congruo dotis ſubſidio, quod valeat uxor ipſa de ſuo præſtare.

36 Eoque magis, ubi nuptura vel nupta mulier natu minor ſit, curatorem a judice dari oportet, non modo pro coſtituenda dote, verum pro ea etiam augenda vel mutanda, ut cenſuit Ulpianus *in l. non tantum* 7 *D. de tutor. & curatoribus*. Si autem quæratur, quantæ pecuniæ dotem promittenti adultæ mulieri curator conſenſum accommodare debeat? Reſpondet Celſus: „ modus ex facultatibus, & ex dignitate „ mulieris, maritique ſtatuendus eſt, quouſque ratio „ patitur. Quod ſi curator amplius doti promiſerit, „ quam facultates mulieris valent; ipſo jure promiſſio „ non tenet in eo, quo ſuperflua eſt: quia lex ratam „ non habet auctoritatem dolo malo factam, ut Terentius Clemens tradit *in l. ſive generalis* 61 *D. eodem*. Ideoque nullam deberi viro dotem, quam mulier nullo auctore dixiſſet, aſſeruit Cicero pro A. Cæcina. Idemque probavit nullam fuiſſe dotem Androni Sextilio traditam, cui Valeria uxor pecuniam omnem ſuam dixerat ſine auctoritate Flacci tutoris *in orat.* pro L. Flacco. Verum prædia puellæ curator tametſi marito recte doti dat inæſtimata ſine libertate alienandi: ſi tamen ſponſus ea maluerit æſtimata ad vendendum, nonniſi prævio decreto judicis, & cauſſa cognita ſic præſtabit *d. l. ſive generalis*.

37 Animadvertendum interea eſt ad curatoris officium non pertinere, nubat pupilla, an non: quia officium ejus in adminiſtratione negotiorum conſtat: & ita Severus & Antoninus reſcripſerunt in hæc verba: „ Ad „ officium curatoris adminiſtratio pupillæ pertinet. „ Nubere autem pupilla ſuo arbitrio poteſt, ait Paulus *in l. Sciendum eſt* 2 *D. de rit. nupt.*

38 Singuli denique promiſſores & pollicitatores extranei ex ſponſione ſua; itemque heredes, vel patri-

mo-

moniorum ; piorumque Montium adminiſtratores ex legato, & voluntate defunctorum ad dotes dandas obligantur, de quibus mox in ſequentibus capitulis verba faciemus.

CAP. III.

DE DOTIS PROMISSIONE, ET NUDA POLLICITATIONE.

Ex lib. 5 Cod. tit. 11

1 *Omnes dotem promittere poſſunt.*
2 *Etiam fœminæ, tam principali, quam fidejuſſorio nomine.*
3 *Dummodo ipſæ penitus indotatæ non remaneant, neve circumventæ ſint.*
4 *Filii item familias.*
5 *Et natu minores.*
6 *Dictio dotis a promiſſione differebat.*
7 *Qualiacunque verba voluntatem promiſſoris oſtendentia nunc ſufficiunt legitimæ dotis promiſſioni.*
8 *Promiſsio dotandi vim habet perfectæ dotationis, ſecus quam promiſsio donandi.*
9 *Dum nuptialia deficiunt inſtrumenta, promiſsio probatur judicio ordinario per conjecturas, & præſumtiones juris.*
10 *Quæ, niſi contrarium oſtendatur, plenam faciunt probationem.*
11 *Si dotale extet inſtrumentum publicum, judicium erit exequutivum.*
12 *At ob privatam ſcripturam contra promiſſores*

ordinarie agendum, niſi de utriuſque partis voluntate fuerit notario publico eam conſervaturo tradita.

13 *Nonniſi poſt ſequutas nuptias promiſſio dotis rata efficitur, & obligatoria.*

14 *Tempore non idoneo facta obligationem nuptiis rite initis parit.*

15 *Ob immodicam vero pollicitationem revocatur exceſſus, atque dos inofficioſa reſcinditur data ſorori ultra legitimam, & ſpuriæ ultra alimenta.*

16 *Conſtante quoque matrimonio fratres a marito ſororis, qui fraudari legitimam ſciverit, revocant exceſſum inofficioſæ dotis.*

17 *Dummodo mortui ſint dotantes.*

1 PRomittere dotem omnes poſſunt, ait Ulpianus *tit.* 6 §. 2: non modo qui neceſſitate juris dotare coguntur inviti; verùm etiam qui ſponte & mera ex liberalitate dotant. Et „ promittendo dotem omnes „ obligantur, cujuſcunque ſexus, conditionisve „ ſint, ſecundum Paulli axioma *in l. promittendo* 41 *D. de jur. dotium*: dummodo majores ſint viginti quinque annis ſive maſculi, ſive fœminæ dotem pollicentes, vel ſpondentes, ex mente Juſtiniani *in l. ult. C. ad Sen. Conſ. Vellejanum*: etiamſi aliis contractibus ineundis minime ſint idonei. Quo circa nec mulieribus, neque filiis familias dotem ſpondentibus jura ſuffragantur, eorumque omnium privilegia privilegiis dotalibus conquaſſantur.

2 Quævis igitur fœmina dotem pollicita non juvatur Vellejano, ſed eam præſtare compellitur, non modo ſi mater, dotare filiam volens, genero ſemetipſam & res ſuas obligaverit *l. ſi dotare* 12 *C. ad Sen. Conſ. Vellejanum*; verum etiam ſi pro qualibet muliere extranea dotem ſpoponderit tam principali, quam fidejuſſorio no-

nomine: quum omni auctoritate Vellejanum Senatus Conſultum in hac dotis cauſſa generatim ceſſare reſcripſerit Juſtinianus *in l. generaliter fin.C. eodem*: ea innixus ratione, quod favore dotium & antiquos juris conditores ſeveritatem legis ſæpius mollire ſciret. Eamque ob rem Ulpianus, & Julianus rectiſſime ajunt, non eſſe interdictam donationem jure civili, quam uxor marito faceret ſub ea conditione, ut pro filia genero in dotem daret *l. profectitia 5 §. 9 D. de jur. dot.*

3 Moderata nihilominus & officioſa debet eſſe mulieris promiſſio, quatenus ipſa prorſus indotata non remaneat, virumque ſuum ſolvendo idoneum ab onere dotandi filiam penitus non eximat: tunc enim fraus fieret legi per matrem, quæ ſola univerſam dotis ſuæ pecuniam doti filiæ dans, prohibitam conſtante matrimonio donationem viro ſuo indirecte facere præſumitur pro ea quantitate,quam is paterno ex officio nupturæ filiæ doti dicere debet. Neque ferendum eſt quaſi fortuito caſu interveniente mulierem fieri indotatam, & ſic a viro forſitan repelli, quod perpendit Juſtinianus *in cit. l. generaliter*. Ex recepta autem ſententia Theſauri *dec.* 323 mulier tunc dotando læſa atque indotata habetur, quum ei ſalva non remanet dotis ſuæ medietas, Gratian. *diſcept.* 108 *nu.* 8,*& ſeqq.*& Card. de Luc. *diſc.* 95 *de dote num.* 3. Hinc immodicam & exceſſivam promiſſionem ſuam ea moderari, & revocare poteſt: vel a viro ſuo congruam quotam ſibi redintegrandam petet. Imperator Alexander in integrum reſtitutionem conceſſit cuidam Valenti, tanquam heredi ſororis ſuæ, qui circumventam ſororem omnia bona in dotem dediſſe expoſuerat, *l. quoniam un. C. ſi adverſus dotem*. Et Ulpianus antea docuerat mulieri in dotis quoque modo ſubveniri, ſi ultra vires patrimonii, vel totum patrimonium circumſcripta in dotem dedit *l. ſi ex cauſſa 9 D. de minoribus*. Exinde mulierem viginti quinque annis minorem audiendam eſ-

ſe,

ſe, ſi pactione dotis deterior conditio ejus fiat; & tale pactum inierit, quod nunquam majoris ætatis conſtitutæ paciſcerentur, illudque ideo revocare velit; cenſuit Paullus *in l. minor* 48 *D. eodem*. At vero pro dote per puellæ nupturæ curatorem ſupra vires patrimonii ſcienter promiſſa, non donandi animo, ſed negotii gerendi cauſſa, ſine fraude vel circumventione mulieris recte ſcientis & conſentientis; manet ipſa mulier obligata, quæ marito hanc exponere debet cautionem, quod ſi quandoque locupletior conſtante matrimonio facta fuerit, dotis reliquum ipſi viro ſolvat, vel ſervet *l. cum poſt mortem* 43 §. 1 *D. de adm. tutor.* Sexus itaque fœmineus promiſſæ doti non nocet, niſi intercideriť læſio & dolus, qui nemini patrocinatur.

4 Filii quoque familias jure dotem promittunt, promiſſamque ſolvere coguntur; non obſtante Sen. Conſ. Macedoniano. Huic porro non eſſe locum, reſcripſere Severus & Antoninus contra Zenodorum, qui inter cætera in eam rem pecuniam acceperat, quæ patris oneribus incumberet *l. Zenodorus* 2 *C. ad S. C. Maced.* At cum Juliano Ulpianus cenſuit, ſi filiusfamilias patre ſuo relegato, vel longo tempore abſente, dotem pro filia promiſerit, & rem patris pignori dederit, Senatus Conſultum ceſſabit: patris tamen res non tenebitur actione pignoratitia, ſed perſonali duntaxat *l. item ſi filiusfam.* 7 §. *ſed etſi* 2 *D. de S. C. Macedon.* Quare ſi filius in id acceperit pecuniam mutuam, ut eam pro ſorore ſua in dotem daret, pater ejus de in remverſo actione tenebitur: ipſi enim, mortua in matrimonio puella, repetitio dotis datur a Paullo *in l. filius* 17 *D. eodem*. Si autem res patris ſui nequit filiusfamilias obligare doti ſororis; eo minus poterit filiusfamilias extraneam mulierem dotando peculium ſuum profectitium atque adventitium, [illegible] ad patrem pertineat, obligare. Verum ſua ex promiſſione, vel pollicitatione ad præſtandum, quod ſpopondit, compel-

létur

letur actione perſonali, aut ſuper bonis caſtrenſibus vel quaſi: quoniam dotis favori non officit juris non ſui, & quæcunque alia conditio ex laudata *l. promittendo*.

5 Minores itidem, ſeclusa circumventione & læſione, dotem promittentes, jure obligantur, ſi modo eam non effuſe conſtituant, Dion. Gothofred. in dicta *l. promittendo verſ. conditioniſque*. Quoniam Paullus *in cit. l. minor* mulieri natu minori, quæ deteriorem fecerit conditionem ſuam, majorem pollicendo pecuniam, quam ætate major non ſpopondiſſet, audientiam non denegat. Et Alex. in *l. un. C. ſi adv. dot.* heredi ſororis, nonniſi circumventæ, beneficium reſtitutionis in integrum conceſſit. Unde conſequitur minores tam maſculos, quam fœminas promiſſione dotis legitimam obligationem ſubire; etiam ſi ſine decreto judicis, & ſine ſolennitatibus in contractibus minorum requiſitis ipſimet perſonaliter, vel eorum curatores dotem ſpoponderint, *neceſſariam* tamen non voluntariam: puta in favorem ſororum, aliarumve, quas ipſi minores jure vel communi, vel municipali dotare tenentur: ſecundum regulas ſupra *cap.* 2 traditas. Quod ſi, nullo cogente jure, vel neceſſitate impellente, perſona minoris, aut curator ipſius nomine dotem alicui extraneæ puellæ conſtituere velit, omnes requiruntur ſolennitates, non aliter quam in omnibus minorum contractibus & alienationibus generatim, Card. de Luca in *ſum. dot. nu.* 256. Nanque Juſtinianus in *cit. l. ult. C. ad Sen. Con. Vellejan.* reſcripſit quoslibet dotium promiſſores teneri ad ſponſionem implendam, ultroque ſuſceptam, dummodo majores ſint vigintiquinque annis.

6 In conſtituenda dote apud Quirites olim dictio a promiſſione diſtinguebatur: perſonæque dotantes no æquali forma dotes promittebant. *Dictio* ſine ſtipulatione

tione, ſed ſolennibus,conceptiſque verbis fiebat(1): *promiſſio* nonniſi cum ſtipulatione (2) . „ Dos (ait Ulpianus *tit.* 6 §. 1 , *&* 2) „ aut datur , aut dicitur , aut promittitur . Dotem dicere (3) poteſt mu„ lier , quæ nuptura eſt : debitor mulieris , ſi juſſu „ ejus dicat inſtitutus : parens mulieris virilis ſexus „ per

---

[1] Formulam dotis ſponſo *dictæ* per nupturam dat Paull. in *l. ſi ei nuptura* 25 *D. de Jur. dot.* in hæc verba . „ Pro „ Sticho , quem mihi debes , *decem tibi doti erunt* . Et Julianus in *ſeq. l. quemadmodum* 46 §. 1 . „ Quod mihi debes , „ aut fundus Sempronianus *doti tibi erit* . Idemque Jureconſultus ſocero ſic *dictam* a ſponſa refert in *l. ſi pater* 44 *D. eod.* Quod mihi debes , vel quod mihi filius tuus debet : doti tibi erunt . Nec non Javolenus in *ſeq. l. nuptura* 57 . Præterea non abſimilem formulam tradit Celſus in muliere , quæ ancillam Pamphilam a Titio ſtipulata , deinde ei nuptura , quod is ſibi debebat , *doti habere* permiſit *l. ſi ſponſalibus* 58 *D. eod.* Proculus conſentanee patris genero dotem dicentis hæc formalia verba ſcribit . „ Quum commodum erit , vel quum potuero , *dotis filiæ meæ tibi erunt centum* , *l. nepos Procula* 125 *D. de verb. ſign.* Et inde dictum in comœdia : *dos eſt Pamphilæ decem talenta* , obſervat Cujacius *in lib. 35 Paulli ad edictum ad l. 41 de jur. dot. t. m. 5 col.* 550 : ubi rectius iſtas formulas *dictioni* dotis attribuit quam Briſſonius *lib. 6 de formulis* opinatus eaſdem eſſe promiſſionis , non dictionis , dum inquit *promitti* dotem ſolere in hunc modum , ver. gr. *decem doti tibi erunt* .

[2] Hujuſmodi factam dotis ſtipulationem narrat in *l. tali* 48 D. *de jur. dot.* Julianus : *decem in anno proximo dotis nomine dare ſpondes ?* Et Paullus reſpondit valere talem ſtipulationem : *quum morieris, dotis nomine tot dari l. Julianus* 20 *D. eod.*

[3] Verbum dicere idem hic ſonat , quod palam , & coram pluribus pronunciare , ſeu (quod in XII tabulis) lingua nuncupare , docente Cujacio ad *l. palam eſt* 33 *D. de V. S. tom.* 8 *col. mihi* 515 ex verbis edicti ædilitii , in quo *dicere, & palam recte pronunciare* ad unum idemque ſignificandum promiſcue adhibentur . Teſte Ulpiano in *l. ædiles* 38 *in princ. D. de ædilit. edict.* Ædiles ajunt : „ qui jumenta vendunt , *palam* „ *recte dicunto* , quid in quoque eorum morbi , vitiique ſit . Et rurſus in *l.* 1 §. 1 *D. eod.* „ omnia [vitia] quum ea „ mancipia venibunt , *palam recte pronuncianto*. Quod ſi man„ cipium . . . adverſus quod *dictum* , promiſſumve fuerit , „ quum veniret , fuiſſet . . . judicium dabimus .

„ per virilem ſexum cognatione junctus, velut pater, „ avus paternus. *Dare, promittere* dotem omnes „ poſſunt. Itaque hæ tantum tres perſonæ, nulla interrogatione præcedente, poterant dictione dotis legitime obligari: mulier, ſive nuptura, ſive nupta: debitor mulieris cum mandato ſpeciali: & parens ipſius. Aliæ vero perſonæ, ſi pro muliere dotem marito promiſiſſent, communi jure obligari debebant: ideſt, ut & interrogatæ reſponderent, & ſtipulatæ promitterent, ut Gajus declaravit *lib.*2 *Inſt. tit.* 9 §. 4. Regulariter enim dictio nuda obligationem non pariebat, quemadmodum nec pactio nuda.

7 Tum, exoleta in omnibus fere contractibus ſtipulatione, placuit Theodoſio & Valentiniano Impp. in *l. ad exactionem* 6 *C. de dot. promiſſ.* „ ad exactionem „ dotis qualiacunque ſufficere verba, ſive ſcripta fuerint, ſive non; etiamſi ſtipulatio in pollicitatione „ rerum dotalium minime fuerit ſubſequuta. Hinc jure tam communi, quam municipali præſcripta quum nullimode ſit peculiaris conſtituendæ, vel probandæ dotis forma; ea indiſcriminatim nudo conſenſu, & ſine ſcriptura per omnes cujuslibet ſexus, & conditionis perſonas, ſive parentes, ſive extraneas, recte conſtituitur: & æque rogatus promiſſor, quam ſpontaneus pollicitator dotis efficacem ſubit obligationem, quatenus ad promiſſam quantitatem perſolvendam merito compellatur, etiam qui ſponte pollicitus dotem fuerit, ex peculiari dotium privilegio. In ceteris enim contractibus ultronea pollicitatio ſine ſtipulatione, vel ſaltem ſine acceptatione minime obligationem parit *l.* 1, & 3 *D. de pollicit.* (1)

8 Quin

(1) Verum Baldus in epigraphe *cit. l. ad exactionem*, & Accurſius ad eandem *l.* oſcitanter ſcripſere actionem ex nudo do-

8 Quin promiſſio quoque dotandi, ſi non jocoſo, ſed ſerio facta ſit animo, perfectam inducit obligationem, eundemque parit effectum, ac ſi ritu ſolenni dos conſtituta fuerit, ut evitetur circuitus inutilis, ſeu coactio judiciaria promiſſoris ad promiſſionem perficiendam, quod in Regio Conſilio definitum tradit de Afflict. *dec.* 61 *in princ.* Aliter quam in aliis contractibus & oneroſis, & lucrativis, in quibus promiſſio vendendi, vel donandi non eſt venditio, neque donatio *l. contractus* 17 *C. de fid.inſtr.* Ubi Juſtinianus pœnitentiæ locum ei conceſſit, qui vendere pollicitus eſt per inſtrumentum, donec aliquid deeſt conficiendæ ſcripturæ, & illa undequaque abſoluta non eſt.

9 Dupliciter autem quæſtio in foro emergit circa dubiam dotis promiſſionem: vel ſcilicet deficientibus, vel exiſtentibus inſtrumentis dotalibus. Si deficiant inſtrumenta; judicium utique erit *ordinarium*. Verum conjecturis & indiciariis probationibus non minus quantitatem, quam veritatem promiſſæ dotis comprobari non ex privilegio dotium, quibus peculiarem, & privilegiatam probationis ſpeciem jura minime indulſerunt; ſed ob juris præſumtionem, quæ doti conſtituendæ favet ad reipublicæ utilitatem, & ex univerſali ſponſorum obſervantia, qui fere matrimonium ſine dote non ſolent inire; animadvertit Card. de Luca *diſc.* 150 *de dote n.* 30. At quoniam juris præſumtio veritati, ſcilicet facto plene probato, cedit; judex circunſtantias facti perpendere debet, bonique viri arbitrio modo plenam, modo ſemiplenam probationem exi-

dotis pacto oriri. Cur enim pactum ſolvendæ dotis unquam dici poterit nudum, quum ſemper contineat cauſſam maxime oneroſam ineundi conjugii, & conjugalium onerum ferendorum? ſed fortaſſe pollicitationis verbum in textu uſurpatum acceperunt pro pacto nudo, quod longiſſime a vero abeſſe nemo eſt qui non videat.

exigere. Aliud propterea eſt agere de probanda dotis neceſſaria & coacta promiſſione in perſonis ad dotandum obligatis; aliud vero de voluntaria in extraneis ex liberalitate, ſponteque dotantibus. Aliud itidem eſt de probanda ſolutione dotis procul dubio conſtitutæ, vel coadjuvanda viri confeſſione quoad receptam dotem, aliud vero de probanda promiſſionis origine, & ſubſiſtentia. Horum quippe caſuum varietas confundenda non eſt: quod enim in uno permittitur, in aliis vetatur, ex generali axiomate Paulli *in l. cum Prætor unum 12 D. de judiciis*.

10 Et quandoque legitima præſumtio doti favorabilis adeo plenam inducit probationem, ut onus probandi contrarium transferat in partem adverſam: quātitas enim doti prioris matrimonii conſtitutæ promiſſa regulariter pro ſecundis quoque nuptiis præſumitur ipſo jure ſine novo dotali inſtrumento: dum hoc agi ſemper interpretemur cum Paullo, & Papiniano, niſi aliud conveniſſe probetur *l. dotem 30, & l. quod ſi 31 D. de jure dotium*. Et Imp. Severus reſcripſit in hæc verba: „ Si mulier, quæ dotem dederat, poſt divortium rurſus in matrimonium redit, non revocatis in- „ ſtrumentis; non dubitabit is, apud quem res agetur, ſecundum voluntatem mulieris, quæ utique non „ indotata redire in matrimonium voluit, partibus ſuis „ fungi, quaſi renovata dote, *l. divus D. eod.*

11 Quo tamen paratior & certior ſit promiſſæ dotis probatio, nuptialia inſtrumenta publicis notariis, & tabellionibus rogatis fere conſcribi ſolent: atque ſtipulationes nuptiarum majore aſtutia componi, quam eas, quæ in vendendo & emendo confici ſolent, jam diu queſtus eſt Chriſoſtomus (1). Et ubi petitor dotis

(1) *cit. homil. 74 in Matth.* „ Quare & matrimonium (ait) ibi

dotis publicum inſtrumentum in jure exhibeat, promiſſores judicio *exequutivo* per trina, vel bina præcepta compelluntur ad ſolvendum, juxta ſtylum in utroque foro laicali & eccleſiaſtico receptum: vel ob clauſulas pacti executivi & guarantigiæ in omnibus inſtrumentis adponi conſuetas: vel ob mutuam ſtipulantium confeſſionem coram judice ad contractus, notario, ac teſtibus inibi conſcriptam. Nam ſecundum juris communis regulas, ſtylo ſemoto, inſtrumentum publicum & ſolenne paratam non haberet exequutionem, ſed ſolennem judicii ordinem adhuc requireret *l. si pacto* 14 *C. de pactis*. Quod autem neapolitana conſ. *pen. & fin. ſub tit. de jure quartæ* definitum eſt, dotem peti non poſſe abſque dotali inſtrumento, & contra inſtrumentum dotale nullam fere admitti probationem; locum obtinet in reſtitutione dotis, viro mortuo, de qua infra *cap.* 14 *solut. matrim. quemad. dos pet.*

12 Privatim vero conſcripta nuptialia inſtrumenta ſeu (ut ajunt) capitula matrimonialia tam ex ſtylo, quam de jure privilegium non obtinent judicii præceptivi. Si tamen privata dotium inſtrumenta notario publico ambarum partium voluntate tradita fuerint ad ea conſervandum pro communi cautela, futuraque rei memoria; praxis in Regno inolevit, ut judicium fiat exequutivum pro pactis dotalibus, & promiſſionibus hinc & hinc obſervandis, ſicuti Leon. Riccius teſtatur *in prax. civ. to.* 2 *cap.* 1 *tit.* 5 *n. fin.* Sed dotis conſtitutionem minime probari per copiam informem apochæ: quemadmodum & cujuslibet inſtrumenti, cujus tranſumta, niſi fuerint authentica, & manu publici conſervatoris extracta vel ſignata, nil in judicio probant

inibi S. Pater) „ ſynallagma dicunt: multos enim audivi „ dicentes: ille contraxit cum illa; ideſt conjugio copulati „ ſunt. Ita donum Dei contumelia, & injuria afficiunt, & „ velnti ementes ac vendentes, viri ducunt uxores, & mu„lieres viris nubunt. Stipulationes quoque nuptiarum ma„iore aſtutia componunt, quam eas, quæ in vendendo, & „ emendo confici ſolent.

bant, tenet Card. de Luca *diſc.* 214 *de dote n.* 4.

13 Exequutionem in judicio non meretur dotis promiſſio ſive in diem, ſive ſimpliciter, ſive quomodolibet facta, niſi poſt ſequutas nuptias, initumque de præſenti conjugium: & nuptialibus inſtrumentis, quantumvis ſolennibus, ſponſus futurus præcepta bina, vel trina de ſolvendo nequaquam obtinebit, niſi authenticam contracti matrimonii fidem judici exhibuerit; ſicque tacitam futuri matrimonii conditionem in omni dotis promiſſione ipſo jure intellectum eveniſſe probaverit *ex l. dotis promiſſio* 68 *de jur. dot.* Nisi ea ſub conditione fuerint expreſſim inita ſponſalia, ut dos ante nuptias perſolvi deberet a tradi ex Alexandri III decretali *in cap. de illis autem* 3 *de condit. appoſ.* Hinc ſi quis in anno proximo dotis nomine decem dare ſpoponderit, annum ex die nuptiarum eſſe numerandum, non ex die ſtipulationis, reſponſum eſt a Juliano *in l. tali facta* 48 *D. eodem.* : propterea quod dies ſolvendæ dotis nec cedere, neque venire poteſt, antequam ſit dos. Eademque ratione æſtimatio rerum dotalium non perficitur, & eas vendere & alienare tanquam verus emtor non poterit ſponſus, niſi matrimonium fuerit ſequutum *l. plerunque* 10 *§. ſi ante* 4 *D. eodem.* Quæ interea periculo promiſſoris manent.

14 Tempore autem non idoneo ſi facta ſit promiſſio dotis, reconvaleſcit ex poſtfacto. Si ergo ſponſalibus nondum factis Titio dotem Sejæ nomine promiſeris, quum ea nubere ei nollet, tamen ſi poſtea Titio nupſerit, dotem debebis: niſi aliæ nuptiæ mediæ interveniſſent, ex Celſo in *l. ſi ſponſalibus* 58 *D. eod.* Quod enim vulgatum eſt, dotis promiſſionem in primis duntaxat nuptiis deſtinari, neque durare obligationem, ſi poſt alterius matrimonium ei nubat, cui dotem promiſerat; tunc locum habere, cum intercefſerunt aliæ nuptiæ, reſpondit Papinianus in *cit. l. dotis.*

15 Ceſſat nihilominus favor dotis ob effuſam polli-

citationem, atque inofficioſam largitionem: quam ideo moderari poterunt, vel revocare nonniſi mortuis dotantibus iſtorum filii & heredes, majorem quantitatem ad minorem, quæ congrua ſit, & officioſa, & nemini læſuram faciens, reducendo. Imp. enim Conſtantinus tibi adverſus dotem immodicam dat actionem ad exemplum inofficioſi teſtamenti, ubi a matre tua in dotem ſororis tuæ bona omnia exhauſta ſint, quatenus tibi, aliiſque filiis conquerentibus debita legitimæ emolumenta conferantur & ſerventur *l. un. C. de inoff. dotibus*. Spuriæque filiæ data dos ultra metam alimentorum, mortuo dotante patre, conſtante quoque matrimonio revocabitur quoad exceſſum, ex dictis per Præſid. de Franch. *dec.* 104 *n.* 7. Et quæ jam liberos habet mulier, non poteſt, ad ſecundas tranſiens nuptias, ſecundo viro dotis quoque nomine conferre majorem pecuniæ quantitatem, quam uni filiorum prioris matrimonii minorem dare voluerit *l. hac edictali C. de ſec. nuptiis*. S. Conſilium idcirco inſtante filio in officioſam dotem a matre datam revocavit uſque ad legitimæ quantitatem ex utroque juris tit. *de inoffic. dotibus, & de inoff. donationibus*, penes citatum de Franchis *deciſ.* 558 *n.* 1.

16 Utrum vero filii conſtante matrimonio poſſint a ſororis ſuæ marito revocare bona, pecuniamque doti traditam in ea quantitate, quæ officioſam exceſſerit dotationem; an debeant mortem viri expectare; maximi momenti quæſtio eſt! Nedum enim probabilibus hinc & hinc rationibus DD. inter ſe pugnant, ſed Sacrum quoque Conſilium modo unam, modo alteram amplexus eſt ſententiam. Variæ nihilominus deciſiones caſuum diverſitate ſunt conciliandæ. Quandoquidem contra ſororis maritum, qui *bona fide*, ac *ſine fraude* acceperit a ſocero dotem immodicam, non poſſe fratres conſtante matrimonio agere de inofficioſa dote, ſed ſoluto conjugio ipſos recuperare poſſe legiti-

mam

mam ab heredibus ejus ſuper dote reſtituenda, deciſum autumant penes Afflict. *dec.* 86. Grammat. *deciſ.* 90, & Capyc. *dec.* 181., contra ſententiam Paulli de Caſtro ad *l. un. C. de inof. dot.* Quemadmodum quoque ſi dos congrua, & minime exceſſiva jam tradita fuerit genero alias non contracturo. Secus vero, ſi dotem immodice & extra modum promiſſam vir mala fide & fraudis particeps a ſocero, vel ſocru filios fraudante non ſolutam a fraudatis filiis petat: hoc enim caſu de inofficioſa dote iſtos excipere, ſibique retinere poſſe debitam legitimæ portionem; ſpeciatim cenſuit S. Conſ. penes de Franch. *dec.* 104 *n.* 5, *& ſeqq.* Nanque vir immodicam petendo dotem in mala fide inexcuſabili conſtituitur ob querelam inofficioſi. Diſtinctionem hanc probat apertiſſime textus in *l. ſi fraudator* 25, *ſeu fin. §. ſi a ſocero D. quæ in fraud. creditor.* Ubi J. C. Venulejus cenſuit generum, ſi a ſocero fraudatore is ſciens acceperit dotem, actione reſciſſoria fraudatis creditoribus utique teneri. Si tamen is fraudem ignoraverit, ſed filia ſciverit, teneri filiam. Si vero uterque ſcierit, utrumque teneri. At ſi neuter ſcierit, nihilominus in filiam dandam actionem: quia intelligitur quaſi ex donatione aliquid ad eam perveniſſe: aut certe cavere eam debere, quod conſecuturа ſoluto matrimonio ab heredibus viri eſt, ſeſe reſtituturam. In maritum autem, qui ignoraverit, non dandam actionem, quum is indotatam uxorem ducturus non fuiſſet. Si ergo Juriſconſultus creditoribus fraudatis conſtante matrimonio contra maritum fraudis inſcium denegat, & contra eundem fraudis participem concedit Paullianam & revocatoriam actionem; jure merito S. C. ex identitate rationis in altero querelam inofficioſi contra virum, donec vixiſſet, non admiſit filiis fraudatis; in altero autem caſu maxime probavit.

37 Verum, nonniſi mortuis dotantibus, actio inof-

ficioſæ dotis, æque ac de inofficioſo teſtamento, competit filiis, qui nullum pro legitima jus quæſitum habent, donec parentes vixerint, ideoque de conſummatâ legitimæ fraudatione iſtis viventibus ii conqueri non poſſunt, de Franch. *dec.* 170. Quin etiamſi pater, vel mater conſenſum ſuum accommodare velint filiis ad agendum de inofficioſa dote contra generum, ejuſque heredes, adhuc eorum querelæ non defertur: quoniam conſenſus unius in alterius præjudicium alicui prodeſſe non debet, ut declaravit inibi S. Conſ. *n. finali*: quicquid contra ſenſerit cum Saliceto Gratianus *diſcept.* 950.

C A P. IV.

DE PACTIS DOTALIBUS.

Ex lib. 23 Dig. tit. 4.

1 *Servanda fere ſunt dotalia pacta.*
2 *Et ſpeciatim reſtituendi dotem ſoluto matrimonio.*
3 *Aut non reſtituendi, ſed eam marito relinquendi poſt mortem uxoris ſine liberis.*
4 *Irrita vero ſunt, quæ contra dotis naturam fiunt.*
5 *Et quæ dotis cauſſam faciant deteriorem, aut juribus vel mulieris, vel filiorum noceant.*
6 *Non valet hinc pactum, ne dos matrimonio ſoluto quæratur filiis ſuperſtitibus, neque viduæ matri.*
7 *Nec æſtimatio fundorum dotalium per puellæ curatorem facta ſine ſolennibus.*
8 *Nec quodlibet onus paragio, & doti neceſſariæ impoſitum ſine conſenſu mulieris.*
9 *Nec additum doti, quæ mulieri ſucceſſionibus & juribus ſibi delatis vel ſperatis, & pecuniæ do-*

tali

tali æquivalentibus renuncianti detur per renunciatarium.

10 *Nec adpoſitum a gubernatoribus piorum Montium, aut ab heredibus ex teſtatorum voluntate dotantibus.*

11 *Neque ab extraneis dotantibus poſt quæſitum jus mulieri ex anteacta ſine onere voluntaria promiſſione.*

12 *Sed accedente libero conſenſu mulieris, aliorumque intereſſe habentium pacta ejuſmodi convaleſcunt, & rata fiunt.*

13 *Quæ nonniſi conſentientibus idcirco nocent, & viciſſim proſunt.*

14 *Ex parentium pacto nihilominus filiabus jus quæritur.*

15 *In ambiguis interpretatio doti, & mulieri favorabilior.*

16 *Obligatio hinc dotis incipiebat olim quoque ab heredibus promiſſoris.*

17 *Et conditiones conjunctivæ reſolvuntur in alternativas.*

18 *Atque in Regno mater, æque ac pater non excluditur ab inteſtata hereditate filii ex antiquo more Magnatum, niſi nuptiæ ſint initæ cum expreſſo pacto ad novum uſum Capuanæ & Nidi.*

PRomiſſioni dotium non minus, quam dationi multifaria pacta adnectuntur, e quibus perplures emergunt quæſtiones quoad eorum obſervantiam, vel nullitatem. Utque ab irritis firma & rata diſpiciantur, ſequentes juris regulæ maximè ſunt attendendæ.

1 „ Legem, quam dixiſti, quum dotem dares, ſer„ vari oportet: Severus & Antoninus reſcripſere in *l.*

 1 C.

1 *C. de pact. conventis tam ſuper dote, quam ſuper donatione ante nuptias, & parapbernis*. Et regulariter „ ſi qua pacta interceſſerint vel pro reſtitutione „ dotis, vel pro tempore, vel pro uſuris, vel pro „ alia quacunque cauſa, quæ nec contra leges, nec „ contra conſtitutiones ſunt; ea obſerventur, mandante Juſtin. in *l. un. §. 16 C. de rei uxor. act.* Nec unquam obeſſe debet quod dici ſolet: ex pacto actionem non naſci: tunc enim hoc dicimus, quum pactum nudum eſt, cum laudatis Impp. in dicta *l. 1*. Sed, quum pecuniæ dotalis dationi, vel promiſſioni pactum adjicitur, illud nudum non eſſe inibi ſat declaratur.

2 Servandum hinc pactum, ut dotatori ſive neceſſario, ſive voluntario, ejuſque heredi dos matrimonio ſine liberis ſoluto reſtituatur, dummodo incontinenti & ſtatim, ideſt tempore oblationis ſeu promiſſionis, ita cautum ſit *l. ex morte 9 in fin. C. de pact. conventis*. Nam, niſi expreſſim extraneus ſibi dotem reddi pactus fuerit vel ſtipulatus, donaſſe magis mulieri, quam ſibi aliquod jus ſervaſſe non ſtipulando, videatur Juſtiniano in dicta *l. un. §. accedit 13*. Cavere hinc debent poſſeſſores fideicommiſſorum, itemque judices, ubi dotem ex bonis fideicommiſſo obnoxiis conſtituant, pactum reverſivum adjicere, ut poſt dotatæ mortem ſine liberis dos ad fideicommiſſum redeat, ne melioris conditionis habeantur mulieres, quam maſculi morientes in diſpoſitione rerum fideicommiſſi; neve fideicommiſſum ceſſante dotis privilegio, & fine legis, quæ dotatam deſcendentem ſolummodo reſpicit, evertatur: nam alias bona de fideicommiſſo ſemel detracta ad eos devolverentur, quibus mulier deferre & relinquere maluerit vel teſtata, vel inteſtata, Card. de Luca *in ſumm. dot. num.* 144, *& ſeqq.*

3 Præterea ſi conventum ſit, ut in matrimonio, uxore defuncta, dos profectitia penes maritum remaneret, ejuſve heredem; explorati juris eſt actionem iſtam valere,

lere, & redditionem patri, paterniſque heredibus minime competere *l. ſi convenit 6 C. eodem*. Quoniam Paullus antea putaverat pactum ejuſmodi ſervandum, etiamſi liberi non interveniant *l. ſi pater 12 D. eodem*.

4 At prohibentur, irritaque ipſo jure ſunt pacta *contra naturam dotis* inita: quale eſt illud, ne maritus fructus dotis percipiat *l. 1 D. de Jur. dotium*. „ Dotis enim cauſa perpetua eſt, (ait ibidem Paullus,) „ & cum voto ejus, qui dat, ita contrahitur, ut „ ſemper apud maritum ſit, donec matrimonium conſtiterit (1). Quemadmodum etiam, ſi bonis moribus & legibus repugnent conventiones dotales: puta, ne dolus in re dotali præſtetur, neve ob amotas res agatur, ut conſtante matrimonio fiant donationes inter conjuges, ut fundos dotales alienare vir poſſit ſine ulla reſtituendi pretii obligatione diſſoluto per ipſius mortem conjugio, cæteraque id genus. Nanque Ulpiano docente privatorum conventio juri publico non derogat *l. neque pignus 45 in fin. D. de reg. Jur.*

5 Cauſa dotis hinc deterior fieri non poteſt quovis pacto in dotalibus inſtrumentis appoſito: ne quod pro mulieribus dotandis introduxerunt leges, hoc adverſus mulieres convertatur contra Juſtiniani mentem in *d. l. un. §. 13.* „ Quis enim earum non miſereatur propter „ obſequia, quæ maritis præſtant, propter partus „ periculum, & ipſam liberorum procreationem, „ pro quibus multa noſtris legibus inventa ſunt pri- „ vi-

(1) Jure hinc merito jandiu receſſiſſe ab aula *conſ.* Barenſ. incipien: *mulier conſtante matrimonio*, quæ pactum probabat, ut uxor vel omnes, vel medietatem fructuum dotis ſuæ lucraretur conſtante matrimonio, teſtatur Vinc. Maxilla *in eiuſd. comment.* Hac tamen de re uberius infra *in cap. de rer. dot. adm.*

„ vilegia? *l. aſſiduis 12 §. 1 C. qui potior. in pign. hab.* Quamobrem, ubi jus mulieri vel nuptæ, vel nupturæ quæſitum ſit, & quoquo modo debitum vel ipſo jure, vel ex anteactis promiſſionibus, pactio nullam obtinet firmitatem, niſi legitimus dotatæ mulieris conſenſus acceſſerit.

6 Si ergo patris cum genero ſuo pactum noceat filiæ, faciatque deteriorem dotis conditionem contra nativa & legibus conſtituta privilegia dotis, irritum habebitur. Recte hinc Ulpianus poſt Papinianum reſpondit non eſſe ſervandum pactum, ut quomodocunque diſſolutum foret matrimonium liberis intervenientibus, dos apud virum remaneret *l. ſi convenerit 2 D. eodem*. Nanque (ut idem Ulpianus exponit in *l. quum dos relegatur 1 D. de dote prælegata*) „ quod eſt admiſ„ ſum poſſe deteriorem dotis conditionem fieri inter„ venientibus liberis, totiens locum habet, quotiens „ in matrimonio mulier decedit, vel divortium inter„ venit. Et conformiter Gordianus reſcripſit proficere non poſſe, quominus actionem integræ dotis habeat vidua, quamvis pater eam nuptui tradens pactum fecerit, ut ſi maritus ſuperſtitibus filiis communibus in matrimonio deceſſiſset, pars dotis liberorum nomine retineatur *l. quamvis 3 C. de pact. conventis*. Sicque favor mulieris pactione minime obſtante præfertur favori liberorum.

7 Curator etiam mulieri datus ad conſtituendam ei dotem, ſiquidem res non æſtimatas in dotem maritus accipere maluerit, nihil amplius de pacto vendendi, vel alienandi quærendum eſt: ſin autem non aliter contrahere matrimonium vir patitur, niſi pecuniis in dotem datis, ſeu æſtimatis rebus cum libertate eas alienandi, tunc officium eſt curatoris eundem adire judicem, qui eum conſtituit; ut iterum ei cauſſa cognita permittat, rerum venditione celebrata, dotem conſtituere, ut monet Terentius Clemens *in l. ſive genera-*
lis

lis 61 *D. de jur. dot.* Magis etenim cautum eſt puellæ in fundis dotalibus in caſu reſtitutionis, quam in pretio, quod facilius ob inopiam viri poteſt amitti. Ideoque, quum res in dotem æſtimatas, ſoluto matrimonio, reddi placuit inter mulieris tutorem, & maritum ſine judicis decreto, ſumma declaratur per impropriam æſtimationem, non venditio contrahitur, ex Papiniani reſponſo in *l. cum poſt divortium* 69 *D. de jur. dot.* Quod ſupra innuimus *cap.* 1 *n.* 14.

8 Quotieſcunque neceſſaria fuerit dotatio, & non exceſſerit quantitatem vel portionis legitimæ jure communi filiabus debitæ, vel paragii, quod hoc in Regno debetur feminis à ſucceſſione parentum excluſis per maſculos in locum legitimæ; nec pater moriens, nec maſculi heredes, neque alii conſanguinei proximiores poſſunt pacto reſtitutionis, aliove quolibet onere talem dotem afficere juxta receptam Andreæ ſententiam in conſt. *in aliquibus*, quam probavit S. C. penes de Franchis *dec.* 618. Quemadmodum enim legitima ſine ullo onere filiis debetur *l. ſcimus* 36 *C. de inoffic. teſtamento*: ita paragium quoque in locum legitimæ ſubrogatum abſque gravamine ullo & liberum omnino filiabus præſtari debet, quum paragii, & legitimæ ſit eadem natura & libertas, ſi quantitatis differentia tantum excipiatur. Eamque ob rem affirmat Card. de Luca *diſc.* 108 *de dote n.* 7 ejuſmodi pacta paragium onerantia per mortem patris paciſcentis reſolvi atque irritari: quoniam Juſtinianus tolli mandavit quodcunque onus vel gravamen conditionis, modi, vel dilationis impoſitum portioni legitimæ in teſtamento paterno *l. quoniam* 32 *C. eod.*

9 Eademque ratione onus reſtitutionis rejicitur, quotieſcunque bona, quæ doti dentur, aliquo titulo ipſius dotatæ vel ſunt, vel eſſe debebunt: puta, ubi dotans de ſuis utique bonis dotem perſolverit non ex liberalitate ſua, verum ad compenſandam æquivalen-

tem

tem renunciationem, quam ei nuptura, vel nupta fecerit de ſucceſſionibus parentum, aliorumque proximorum tam delatis, quam deferendis: tunc enim dos iſtæc habetur ceu pretium præventive ſolutum pro ceſſis juribus per ſpeciem contractus hinc & hinc oneroſi, implicitæque emtionis venditionis, Rota coram Dunozetto *dec.* 267, *&* 528. Card. de Luca in *ſum. dot. n.* 301, *& diſc.* 155 *de dote n.* 5.

10 Montium piorum gubernatores quoque puellis, ad ſubſidia dotalia directo & ſine adminiſtratorum electione intermedia vocatis, liberam ſine ullo onere dotem promittere, ac perſolvere debent, niſi fundatores aliud diſpoſuerint; Quemadmodum etiam heredes legatarijs puellis legatam ſine onere dotem pactis oneroſis afficere nequeunt. Quod planius ediſſeretur in ſequenti *cap. de legato dotis*, atque in *tract. de fideicomm.*

11 „ Initio quidem dotis legem, quam velit, etiam „ citra perſonam mulieris, is, qui voluntarie dat, „ dicere poteſt. Si vero poſt datam paciſci velit, „ utriuſque perſona in paciſcendo neceſſaria eſt, „ quoniam jam acquiſita mulieri dos tum eſſet, ait Pomponius in *l. cum dos filiæ* 7 *D. hoc eodem*. Dum itaque eorum conſenſus accedit, qui jus in dote promiſſa quæſiverunt; paciſci poſt nuptias, poſtque dotis pollicitationem licet, etiamſi nihil ante conventum fuerit *l.* 1 *D. eodem*.

12 Conſenſus idcirco mulieris natu majoris, non vi, neque dolo, ſed legitime præſtitus, pacta iſtiuſmodi, quæ ipſius libertati ac favori nocent, poteſt valida & firma efficere. Cumque liberum ſit unicuique ſuo juri renunciare *cap. ſi de terra* 6 *de privilegiis*; remittentibus ſemel actiones ſuas non eſt dandus regreſſus, ex Ulpiani axiomate in *l. quæritur* 14 §. *ſi venditor D. de ædilitio edicto*: tametſi per conſenſum matrimonio præſtitum conſenſiſſe capitulis matrimonialibus, pa-

ctiſque dotalibus inter maritum, ac dotantem convenſtis mulier non præſumitur ab Hodierna *contr.* 34 *nu.* 40, cujus ſententia verior videtur Cardinali de Luca *diſc.* 155 *de dote nu.* 33. Propterea „ ſi mulier pacta „ ſit, ne amplius quam pars dimidia dotis a ſe peta„ tur, & pœna ſtipulata ſit, Mela ait alterutro eam „ contentam eſſe oportere: vel exceptione pacti acce„ ptam facere pœnæ obligationem, vel ſi ex ſtipulatu „ agat, denegandam ei exceptionem, ita Paullus in *l. ſi pater dotem* 12 §. 2 *D. de pact. dot.* „ Nam ſi „ ſpontanea voluntate ab initio liberalitatem ſuam „ oſtendit mulier, neceſſe eſt eam ſuis promiſſionibus „ ſatisfacere: ut quod ab initio ſponte ſcriptum, aut „ in pollicitationem deductum eſt, hoc ab invitis po„ ſtea compellatur, mandante Juſtiniano *in l. fin. C. ad Sen. Conſ. Vellejan.* Exinde uſus, & quidem frequentiſſimus manavit ſtipulandi inſtrumenta liberationum, vulgo *di quietanze*, quibus vel nuptæ una cum viris ſuis promiſſam dotem accepiſſe confitentes, ſolventibus jura ſua cedere ſolent, quæ in capitulis matrimonialibus habita ſint ſine ipſarum mulierum interventu; vel etiam nati filii, dum maternas exigunt dotes.

33 Nonniſi paciſcentibus ergo & conſentientibus proſunt, æque ac nocent fere conventiones. Hinc, Javoleno monente „ pacta, quæ de reddenda dote fiunt, „ inter omnes fieri oportet, qui repetere dotem poſ„ ſunt; ne ei, qui non interfuit, pactum non proſit *l.* 1 §. *un. D. de pactis dotalibus*. Neque alter alterius deteriorem conditionem facere poteſt ex Paullo in *l. non ſolum* 3 *D. ſolut. matr. quemad. dos pet.*

34 Avus tamen paciſcens dotium reſtitutionem pro nepotibus ex filia, quos in poteſtate non habet, ubi filia per ipſum dotata in matrimonio defuncta fuerit, utilem eis actionem adquirit æquitate juris *l. pater* 7 *C. de pact. convent.* Quod locum eo vel maxime obtinet in patre ac paternis aſcendentibus, qui dotem liberis

reſtitui

reſtitui utiliter conveniunt,& e contrario reſtitutas filiarum vel neptium dotes jure accipiunt & exigunt ſine conſenſu earum *l. ſi pater* 4 *D. ſol. matr.* Idque favore dotis utique receptum eſt : regula enim juris denegat ex pacto unius alteri actionem quæri *l. pactum* 4 *C. de pact. conv.* Unde liqueſcit majori privilegio dotem potiri, quam Fiſcum, cui per alium actio non quæritur *l.* 1 §. 1 *D. de jure Fiſci*.

15 Dubia ſi fuerint unquam pacta dotalia, favorabilem cauſſæ dotali, & mulieribus accipient interpretationem: quoniam ex Paullo „ in ambiguis pro dotibus reſpondere melius eſt *l. in ambiguis* 85 *D. de reg. jur.* Et dotium cauſſa ſemper & ubique præcipua eſt ex Pomponio in *l.* 1 *D. ſol. matr.*

16 Ideoque ſi res alicui tradidero ea pactione, *ut nuptiis ſecutis dotis efficiantur*, & ante nuptias deceſſero; ſecutis poſtea nuptiis, dotis illas incipere eſſe reſpondet Ulpianus, qui benignius favore dotium neceſſitatem imponit heredi conſentiendi facto defuncti: aut ſi diſtulerit, vel abſit, etiam nolente, vel abſente eo, dominium ad maritum ipſo jure transferri, ne mulier maneat indotata *l. ſi ego* 9 §. 1 *D. de jur. dot.* Quare favore dotium limitationem accipiebat ea juris regula, per quam veteres non concedebant ab heredibus vel contra heredes incipere actiones. Sed eam generatim ſuſtulit Juſtinianus in *l. un. C. ut actiones & ab heredibus, & contra heredes incipiant*.

17 Pactum patris, *ne ſe vivo, neve conſtante matrimonio* dos petatur, ita interpretandum Imp. Severus conſtituit, ut ſi quidem vivo patre deceſſerit filia, omnimodo dos peti non poſſit. Conſtante autem matrimonio, mortuo patre, peti poſſit contemplatione paternæ pietatis; & contrahentium voluntatis; indigniſſimum judicans, ut non habuiſſe dotem filia exiſtimetur, & fructus dotis ab oneribus matrimonii ſeparentur, Ulp. in *l. cum pater* 11 *D. de pact. dotal.*

Conditiones hinc conjunctivas resolvi in alternativas, disjunctivaſque, favor dotis efficit.

18 Hoc tandem in Regno uſuveniunt frequentiſſime in dotalibus inſtrumentis pactiones bifariæ, vel ſecundum *novum uſum Capuanæ & Nidi*, vel ſecundum *vetuſtum morem Magnatum*: quas vulgo nuncupant *alla nova, o vecchia maniera*. Si paciſcentes expreſſe declaraverint contrahere, ſibique viciſſim cavere ſecundum novum uſum Capuanæ & Nidi; ſponſus eo ipſo excluſus intelligitur a filiorum naſciturorum poſt matrem morientium ſucceſſione, nedum quoad dotalia bona, ſed extradotalia etiam univerſa, quæ ad proximiores maternos pertinebunt. Et contra excluditur ſponſa a ſucceſſione filii ſui poſt patrem decedentis quoad bona omnia paterna, & legitimam quoque portionem filio in hereditate patris quæſitam, quæ proximioribus paternæ lineæ deferuntur. Deficiente hoc pacto in capitulis matrimonialibus, pater, æque ac mater communium filiorum ſucceſſionem integram accipient ſecundum jus municipale, quocum conſonat mos antiquus Magnatum. Verum de iſtis novo, & antiquo uſibus infra plenius in *cap. de facult. teſtand. & ſucceſſ. dot.*

C A P. V.

DE LEGATO DOTIS.

1 *Legatum dotis multiplex.*

2 *Directum, quod ita relictum ſit, ut mulieribus vocatis ſine alicujus electione media competat, ſine onere debetur.*

3 *Indirectum, quo tribuitur heredi facultas eligendi, pacto onerofa admittit.*

4 *Niſi electio omnino libere facta ſemel jus quæſitum electis puellis tribuerit.*

5 *Incertæ quantitatis relicta dos valet, bonique viri arbitrio conſtituitur.*

6 *Si teſtator neceſſariam dotem leget, oneroſam legem adjicere nequit, ſecusquam ſi voluntariam.*

7 *Paragium proinde in locum legitimæ, vel debitæ ſucceſſionis legatum onera reſpuit.*

8 *Quemadmodum & promiſſæ jam dotis legatum marito nullum eſt, at filiæ factum valet.*

9 *Filia legatam quantitatem a vivo parente accipiens legati actionem non habebit.*

10 *Niſi legatum quoque præſtandum ex parentis voluntate vel expreſſa, vel præſumta oſtenderit.*

11 *Factum nupturæ puellæ legatum nuptæ quoque debetur, niſi fuerit a teſtatore ademtum.*

12 *Purum dotis legatum nullam conditionem continet, ejuſque debendi dies a teſtatoris morte cedit: ſecus quam conditionale.*

13 *Neceſſarium legatum paragii in legitimæ locum ſuccedentis & tacitam conditionem futuri matrimonii, & expreſſam reſpuit, quod ipſo jure purum eſt.*

14 *Sed pupillæ non ſolvitur, niſi tempore nubilis ætatis; eique alimenta præſtantur interea pro fructibus.*

15 *Expreſſa tamen conditio nuptiarum vigebit in ſola quantitate, quæ legitimam excedit, niſi exceſſus cum cautela Sociniana relictus ſit.*

16 *Incertæ dotis legatum paternum fere purum eſt.*

17 *Voluntarium vero legatum ab extraneis factum & conditionem vel tacitam vel expreſſam, & onus quodcunque accipit a teſtatoris voluntate.*

18 *In*

18 *In aliis fere quæſtionibus legatorum dotalium adhibentur communes regulæ de legatis, & fideicommiſſis.*

IN tabulis quoque teſtamentariis, piorumque Montium fundationibus quoniam ſolent non minus parentes, quam extranei mulieribus conſtituere ac legare dotes, quæ pactis heredum, vel adminiſtratorum ſolventium onerofis modo ſunt, modo non ſunt obnoxiæ, jus earum heic ſpeciatim inquirere commodum eſt
1 ſub diverſis & ſingulis legati dotalis ſpeciebus. Quod multiplex quidem eſſe ſolet, varios producens effectus, ex multifaria teſtantium, piorumque diſponentium voluntate. Directum ſcilicet, vel indirectum. Certum, vel incertum. Purum, vel conditionale. Voluntarium, vel neceſſarium.

2 Erit utique *directum* atque *immediatum*, quotieſcunque teſtator ipſe certas puellas nominatim, vel ſub nomine collectivo alicujus familiæ, aut originis, aut loci ſic ordinatim vocaverit verbis abſolutis ac directis, ut heres, vel adminiſtrator nullam habeat facultatem præeligendi, & poſthabendi quas maluerit ex pluribus competentibus; ſed eædem puellæ requiſitam, ſanguinis, nativitatis, loci qualitatem habentes ſuo jure dotem legatam vel petere poſſint ſine media ſolventis electione, vel ſaltem ſorti committere petitionem ſuam, nomina demittendo cum ceteris in urnam, vel ciſtellam, eo etiam invito. Quemadmodum directe poſtulant quoque, & accipiunt ſubſidia dotalia feminæ proximiores gradatim, & natu majores, ubi deſcendentes ex tali familia vel gente generatim, & collective, ſimul ac directe vocatæ ſint, juxta Papiniani regulam in *l.peto* 69 *§.fratre D.de leg.*2,& Modeſtini in *l.cum ita* 32 *§.ult.D.eodem.* Iſtiſque caſibus dos (niſi aliter defunctus mandaverit) omnino libera legatariis, & vocatis mulieribus perſolvi debet ſine ullo gravamine

4 *Niſi electio omnino libere facta ſemel jus quæſitum electis puellis tribuerit.*

5 *Incertæ quantitatis relicta dos valet, bonique viri arbitrio conſtituitur.*

6 *Si teſtator neceſſariam dotem leget, oneroſam legem adjicere nequit, ſecuſquam ſi voluntariam.*

7 *Paragium proinde in locum legitimæ, vel debitæ ſucceſsionis legatum onera reſpuit.*

8 *Quemadmodum & promiſſæ jam dotis legatum marito nullum eſt, at filiæ factum valet.*

9 *Filia legatam quantitatem a vivo parente accipiens legati actionem non habebit.*

10 *Niſi legatum quoque præſtandum ex parentis voluntate vel expreſſa, vel præſumta oſtenderit.*

11 *Factum nupturæ puellæ legatum nuptæ quoque debetur, niſi fuerit a teſtatore ademtum.*

12 *Purum dotis legatum nullam conditionem continet, ejuſque debendi dies a teſtatoris morte cedit: ſecus quam conditionale.*

13 *Neceſſarium legatum paragii in legitimæ locum ſuccedentis & tacitam conditionem futuri matrimonii, & expreſſam reſpuit, quod ipſo jure purum eſt.*

14 *Sed pupillæ non ſolvitur, niſi tempore nubilis ætatis; eique alimenta præſtantur interea pro fructibus.*

15 *Expreſſa tamen conditio nuptiarum vigebit in ſola quantitate, quæ legitimam excedit, niſi exceſſus cum cautela Sociniana relictus ſit.*

16 *Incertæ dotis legatum paternum fere purum eſt.*

17 *Voluntarium vero legatum ab extraneis factum & conditionem vel tacitam vel expreſſam, & onus quodcunque accipit a teſtatoris voluntate.*

18 *In*

18 *In aliis fere quaeſtionibus legatorum dotalium adhibentur communes regulæ de legatis, & fideicommiſsis.*

IN tabulis quoque teſtamentariis, piorumque Montium fundationibus quoniam ſolent non minus parentes, quam extranei mulieribus conſtituere ac legare dotes, quæ pactis heredum, vel adminiſtratorum ſolventium onerofis modo ſunt, modo non ſunt obnoxiæ, jus earum heic ſpeciatim inquirere commodum eſt
1 ſub diverſis & ſingulis legati dotalis ſpeciebus. Quod multiplex quidem eſſe ſolet, varios producens effectus, ex multifaria teſtantium, piorumque diſponentium voluntate. Directum ſcilicet, vel indirectum. Certum, vel incertum. Purum, vel conditionale. Voluntarium, vel neceſſarium.
2 Erit utique *directum* atque *immediatum*, quotieſcunque teſtator ipſe certas puellas nominatim, vel ſub nomine collectivo alicujus familiæ, aut originis, aut loci ſic ordinatim vocaverit verbis abſolutis ac directis, ut heres, vel adminiſtrator nullam habeat facultatem præeligendi, & poſthabendi quas maluerit ex pluribus competentibus; ſed eædem puellæ requiſitam, ſanguinis, nativitatis, loci qualitatem habentes ſuo jure dotem legatam vel petere poſſint ſine media ſolventis electione, vel ſaltem ſorti committere petitionem ſuam, nomina demittendo cum ceteris in urnam, vel ciſtellam, eo etiam invito. Quemadmodum directe poſtulant quoque, & accipiunt ſubſidia dotalia feminæ proximiores gradatim, & natu majores, ubi deſcendentes ex tali familia vel gente generatim, & collective, ſimul ac directe vocatæ ſint, juxta Papiniani regulam in *l.peto* 69 *§.fratre D.de leg.*2,& Modeſtini in *l.cum ita* 32 *§.ult.D.eodem:* Iſtiſque caſibus dos (niſi aliter defunctus mandaverit) omnino libera legatariis, & vocatis mulieribus perſolvi debet ſine ullo gravamine

ne ex *l.* 1 *§. idem Julianus* 13 *D. de dote prælegata*: ubi Jureconſultus valere negavit fideicommiſſum & onus reſtituendi, ſi mulieri dos eſſet relegata. Profecto non ex liberalitate & beneficio ſolventis heredis vel adminiſtratoris ea proficiſcitur, in qua jus quæſitum obtinent ex liberali animo teſtatoris.

3 *Indirectum* contra & *obliquum* dicitur legatum, ſi heredes, aliive dotem ſolvere debentes libertatem a teſtatore habuerint tam præeligendi & nominandi aliquas ex puellis incertis, vel generatim vocatis ſub nomine collectivo gentis, familiæ, civium, etiam remotiores; quam poſthabendi alias ejuſdem cætus, licet proximiores, natuque majores, & magis egentes, juxta regulam a Papiniano traditam in conſimili fideicommiſſi materia in *l. unum ex familia* 67 *§. itaque* 2 *D. de leg. & fideicom.* 2. Ubi reſpondit paritum eſſe voluntati teſtatoris, cæteroſque conditione defeciſſe, ſi quum forte tres ex vocata familia eſſent eodem, vel diſpari gradu, unum elegerit, eique ſoli fideicommiſſum reliquerit heres eligendi facultatem habens. Iſtoque caſu pactum reverſivum adjicere, eamque legem poſſunt electores puellarum dotandarum ſeu diſtributores legatarum dotium dicere, quæ dotis naturæ minime adverſetur: propterea quod præelectio earum præſefert quandam eligentium liberalitatem erga eaſdem electas, quæ ſi poſthabitæ fuiſſent, ex legato ejuſmodi obliquo atque indirecto nullum jus quæſitum haberent ad cogendos adminiſtratores, hereḋeſque, ut ipſaſmet nominarent, ac dotarent.

4 Poſtea quam vero electio puellarum ſemel facta fuerit ſine gravamine, non licebit amplius ei, qui elegit, oneroſam legem dicere in ſolutione dotis, eiſque non conſentientibus fruſtra tabulis dotalibus onus reſtitutionis imponet, quæ per electionem ſemel perfectam jus ita quæſiverunt in legata dote, ut iſtam ex prævio diſponentis beneficio, teſtamentoque petere poſſint: per-

inde ac fideicommiſſum familiare ex priori fideicommiſſoris teſtamento, non ex poſteriori eligentis heredis voluntate peti per electam familiæ perſonam, reſpondit Papinianus initio *cit. l. unum ex familia*. Quod maxime comprobatur ex *l. un.* §. *accedit* 13 *C. de rei uxor. actione*: quia mulieri actionem ex ſtipulatu largitur, & jus in dote quæſitum, ex præſumta extranei dotantis donatione, quotieſcunque hic expreſſim ſibi reddi non caverit.

5 II. Si taxatam quantitatem quis doti legaverit, legatum *certum* dicitur. Si vero quantitatem, ſummamve non taxaverit, ſed heredi, aliive definiendam mandaverit, *incertum*. Legatum incertum in cauſis profanis fere non valet: „ & quidem (ait Ulpianus in *l. ſi ſic legatum* 75 §. *ſi mihi D. de leg. & fideic.* 1) „ ſi „ quantitas non ſit adjecta, evidenti ratione nihil de- „ bebitur: quia non apparet quantum fuerit legatum. Favore tamen dotis validum habetur, cujus incerta quantitas arbitrio boni viri conſtituenda eſt, ut deciſum refert de Afflict. *dec.* 371 *n.* 1. Celſus enim Tuberonem ſequutus in *l. ſi filiæ* 43 *D. de leg.* 3, cenſuit, ſi filiæ pater dotem arbitratu tutorum dari juſſiſſet, perinde hoc habendum eſſe, ac ſi viri boni arbitratu legatum eſſet. Cumque Labeo ibidem quæſiſſet, quemadmodum appareret quantam dotem cujuſque filiæ boni viri arbitratu conſtitui oporteret, ait „ id non „ eſſe difficile ex dignitate, ex facultatibus, ex nu- „ mero liberorum teſtamentum facientis æxtimare. Quin ſi teſtator alicui taxandam dotem commiſerit, ſuamque voluntatem declarandam, & hoc juſſerit, ut iſtius adfirmationi ſtaretur; ſervari talis diſpoſitio debet ex *l. Theopompus* 14 *D. de dote prælegata*. Ubi adprobavit Scævola codicillum Theopompi, his verbis conceptum. „ Filiam meam Criſpinam, quam vel- „ lem tradi nuptui cuicunque amici mei & cognati ap- „ probabunt, providebit tradi Pollianus, ſciens

 „ men-

„ mentem meam, in æqualibus portionibus, in qui-
„ bus & ſororem ejus tradidi. Cumque Pollianus a marito puellæ juratus ſcripſiſſet, patrem voluiſſe eandem quantitatem in dotem accipere etiam minorem filiam, quam major accepiſſet, & quæſitum eſſet, an eandem ſummam dotis nomine coheredes minori filiæ coheredi extra partem hereditatis præſtare deberent? reſpondit Juriſconſultus „ eum, cujus notio eſt, æſtimaturum,
„ ut eadem quantitas ex communi præcipua minori fi-
„ liæ dotis nomine detur. Verum ſi electus per teſtatorem arbiter non æquam fecerit taxationem vel declarationem, recurſus haberi poterit ad arbitrium boni viri, ſeu judicis, de Afflict. *d. dec* 271 *n.* 9: quum Papiniano placeat „ in teſtamentis legatum in alterius ar-
„ bitrium collatum pro viri boni arbitrio accipi, *l.* 1 *D. de leg. & fid.* 2 (1). Quatenus non, ſive æquum ſit, ſive iniquum arbitrium, parere debeamus in altero arbitrorum genere; ſed ut ad boni viri arbitrium, redigi debeat, etſi nominatim perſona ſit comprehenſa, cujus arbitratu fiat, ex Proculi epiſtola in *l. ſocietatem* 76 *D. pro ſocio*.

6 III. Quod perſona quælibet ad dotandum obligata alicui dotis nomine teſtamento ſuo legaverit, per legatum *neceſſarium* relinqui dicitur: ad differentiam *voluntarii*, quod fit ſine ulla juris obligatione & me-

---

(1) Heic cum Ulpiano diſtinguere oportet legatum incertum, quod libere alterius voluntati, ab eo quod alicujus arbitrio confertur: hoc enim valet, illud minime. „ Quanquam „ autem (ait Juriſconſultus in *l. fideicommiſſa* 11. §. 7 *D. de leg.* 3) „ fideicommiſſum ita relictum non debeatur, *ſi volueris*, „ tamen debetur, ſi ita adſcriptum ſit, *ſi fueris arbitratus*, *ſi* „ *putaveris*, *ſi exiſtimaveris*, *ſi utile tibi fuerit viſum*, vel *videbitur*: non enim plenum arbitrium voluntas heredi dedita ſed quaſi viro bono commiſſum relictum. Hoc eſt Judici. Veteres enim boni viri arbitratu dicebant, cum neutrius eorum quorum res agebatur, ſed ejus cuius nihil ea in re intererat, probatio & judicium erat. Idemque ſignificari voluiſſe illis verbis *bono domino* per Catonem *de re ruſt. cap.* 14 [illegible] Hotman. *in comm. verb. jur. v. boni viri*.

& mera ex liberalitate teſtantium: adeo ut in priori legato dos neceſſaria, in poſteriori autem voluntaria contineatur. Conſequens inde eſt regulas juris in ſuperioribus *capp.* expoſitas de alterutra dotis ſpecie fere locum obtinere in alterutro legato, quatenus legatum dotis neceſſariæ ab oneribus per teſtatorem ſuperimpoſitis prorſus immune ſit: ſecus quam alterum dotis voluntariæ.

7 Eamque ob rem legatum paragii vel a parentibus, vel a fratribus, ſorores a ſucceſſione excludentibus, factum ſubrogatur in locum legitimæ vel quotæ hereditariæ, nullumque fideicommiſſi, vel reſtitutionis, vel moræ, vel conditionis onus proinde ſubire poteſt diſſentiente legataria. N*ihil enim nunc dat*, *ſed datum ſignificat*, ſeu declarat debitum legitimum, *l. heredes palam* 21 §. 1 *D. qui teſtam. facere poſſunt*. Et S. Conſilium decidit pro paterno legitimæ legato filiis deberi fructus a die mortis teſtatoris, legatoque ipſo privilegia legitimæ nihil deminui, de Franch. *dec.* 575. Niſi vim legati iſtis in caſibus inficiari velis ex eo, quod proprias tuas res legari, vel fideicommitti tibi non poſſe, certum eſt *l. proprias* 13 *C. de legatis*: dum commoditatem aliquam tibi id legatum non affert.

8 Cum vero pater dotem pro filia promiſerit, & dotem poſtea legaverit, ſi quidem marito legavit, videndum eſt, an legatum valeat? & non valere putavit Ulpianus in *l. cum pater* 29 *D. de jure dotium*. „ Nam „ cum creditori debitor legat id quod debet, nullum „ legatum eſt. Quod ſi filiæ legavit, valet legatum: „ dos enim ex promiſſione marito debetur, legatum „ filiæ (1). Et ſi quidem hoc animo teſtatorem eſſe

 „ filia

[1] Favorabilius quippe mulieri eſt legatum, quam promiſſio. Pater vivens promittendo dotem filiæ, quæ nullum jus in paternis bonis quæſivit, dicere poteſt initio legem ſibi placitam, etiamſi legitimam promiſſio non excefferit. At moriens, nequaquam onerare quibit paragium. Quod uberius infra *num.* 14.

„ filia oſtenderit, ut duplicaret ei legatum, habebit
„ utrunque: dotem, quam maritus perſecutus fuerit;
„ & legatum ex cauſſa legati: quod ſi alterutrum vo-
„ luerit habere, ſi mulier legatum petat, oppoſita doli
„ exceptione, non alias cogetur ei heres legatum ſol-
„ vere, quam ſi caverit, *indemnem hoc nomine he-*
„ *redem faturum adverſus maritum ex promiſſione*
„ *agentem*. Sed ſi maritus agat, nihil de indemnitate
„ eum cavere oportebit: verum mulier poſt eum agens
„ exceptione repelletur, quia ſemel dos præſtita eſt. Huc
uſque Juriſconſultus. Et conſentanee Julianus in *l. tali facta* 48 §. *un. D. eodem* in tali caſu, quo ſocer genero ſuo ſic legaverat, *Lucio Titio filiæ meæ nomine centum heres meus damnas eſto dare*, reſpondit hanc pecuniam generum petere debere, exactam, acceptam legatis referri. Idemque firmavit in *l. hujuſmodi* 84 §. *cum pater* 6 *D. de legat. & fid.* 1.

9 Itaque filia legatorum non habet actionem, ſi ea, quæ ei in teſtamento reliquit vivus pater, poſtea in dotem dederit, ex Alexandri reſcripto in *l. filia* 11 *C. de legatis*. Aut ſi partem legatæ dotis acceperit a teſtatore parente, reliquam tantum eo mortuo petet: niſi heres & ab hoc deceſſiſſe teſtatorem oſtenderit, ſeu voluiſſe partis ſolutione reliquum legati adimere: onus enim probandi mutatam eſſe defuncti voluntatem ad eum pertinet, qui ſolutionem recuſat *l. Lucius Titius* 22 *D. de legat.* 2. Ex facti circumſtantiis proinde definiri debent quæſtiones; utrum legati dotalis cauſſa duplicationem recipiat, nec ne; aut reſiduum legati puellæ nupturæ, quæ vivo teſtatore poſt nupſerit, ſolvi debeat: quas hinc & hinc diſputant de Franch. *dec.* 422, *& de* Marinis *lib.* 1 *reſol.* 93, ibique addentes.

10 Quin ſi teſtator vivens legatam pecuniam tradiderit, præveniſſe legati ſolutionem, diemque præſumitur ex *cit. l. Lucius D. de legat.* 2: præſertim ſi eadem ex

ex infirmitate, in qua teſtamentum fecit, deceſſerit, & tradens fecerit mentionem de legato ſuo. Secus vero dicendum, ſi poſtquam ex infirmitate convaluerit, legatam rem, pecuniamve ſimpliciter dederit ſine ullo ad legatum reſpectu: iſto enim caſu dationem ejuſmodi referri ad donationem inter vivos irrevocabilem per poſteriores tabulas legatum adimentes, cenſuit S.Conſilium penes de Afflictis *dec.* 275.

11 Præterea legatum nupturæ puellæ relictum dotis nomine adhuc ſolvi debet, ſi ea ante mortem teſtatoris nupſerit cum dote congrua vel incongrua, ſi teſtator ſequutas ſciens nuptias, legatum non ademit: vel niſi legitimæ conjecturæ ademptum non fuiſſe legatum ſuadeant, Car.Ant. de Luca *in obſerv. ad* Franch. *dec.* 422 *in fine*.

12 IV. *Purum* legatum dotis habebitur, cujus debendi dies ſtatim cedit per mortem teſtatoris, fructus ob dilatam ſolutionem ad legatarium pertinent, atque ad iſtius heredes dos ipſa tranſmittitur etiam ante contractas nuptias. Illudque opponitur legato *conditionali*, cujus debitio non incipit, niſi poſt verificatam conditionem: adeout fructus interea minime quærantur legatariæ, nec iſta intermoriens ad ſui ipſius heredes illud traſmittat ceu caducum.

13 Legatum paragii in legitimæ locum ſubrogati gravamen etiam dilationis & moræ penitus reſpuit *l. quoniam in prioribus*, *& l. ſcimus* §. *cum autem C. de inoffic. teſtamento*, utque *purum* eatenus habetur, ut tacitam futuri matrimonii conditionem nullatenus admittat: quin & a teſtatore expreſſam ejuſmodi conditionem omnino rejiciat, quotieſcunque illud quantitatem legitimæ, & congruæ juſtæque dotis non exceſſerit, ex recepta ſententia Caſtrenſis ad *l. Titia centum* §. *Titio genero D. de cond. & dem.* ſic opinantis.. „ Si „ ſtatutum dicat, quod extante maſculo filia non ſuc- „ cedat cum maſculo, tunc Bartolus bene dicit verum,

 „ quod

„ quod relictum eſt *purum*, alias non diceretur dota-
„ ta, & ſic non eſſet excluſa a ſtatuto.

14 Nihilominus S. Conſilium in cauſſa Helenæ de Zunica penes de Franchis *dec.* 559 cenſuit paragium ſuper bonis paternis a fratre eam excludente ab inteſtato deberi tempore nubilis ætatis, intereaque alimenta ab eodem accipere pro fructibus dotis ſuæ, etiamſi minime illis indigeat. Quod antea probaverat Julianus in *l. qui filium* 4 *D. ubi pupillus educari, vel morari debeat, & de alimentis ei præſtandis*. Cujus hæc eſt ſpecies. Pater filium heredem inſtituerat, filiæque dotis nomine, *cum in familia nupſiſſet*, ducenta legaverat, nec quicquam præterea: tutor filii a cognatis, & a propinquis pupillæ perductus ad magiſtratum juſſus eſt alimenta pupillæ, & mercedes, ut liberalibus artibus inſtitueretur, dare: pubes factus pupillus puberi jam factæ ſorori ſuæ ducenta, legati cauſſa, ſolvit. Quæſitum fuit an tutelæ judicio conſequi poſſet præſtita pupillæ alimenta, præceptorumque mercedes? Et Jureconſultus negative reſpondit: „ etſi citra magi-
„ ſtratuum decretum tutor ſororem pupilli ſui aluerit,
„ & liberalibus artibus inſtituerit, cum hæc aliter ei
„ contingere non poſſent. Quo ex reſponſo liquet apertiſſime pupillæ alimenta in locum fructuum legatæ dotis legitimam non excedentis ſubrogata fuiſſe, & ſimul compenſata, qui fructus ex legato puro legatariæ decurrebant. Et S. Conſilium ibidem cenſuit fratrem ſorori ejuſmodi præſtare quidem alimenta uti patris heredem, non eo charitatis & ſanguinis jure, quo filios alit pater vivens, ſed in compenſationem fructuum legitimæ ac paragii ex mora debitæ ſolutionis.

15 Tacita ergo futuri matrimonii conditio prorſus eliminatur in legato paragii *neceſſario*, quod *purum* habetur etiam in exceſſu ex præſumpta teſtatoris voluntate, quoties iſta nullam expreſſe appoſuerit conditionem nuptiarum. Hoc enim caſu legatum purum habebitur

bitur

bitur uſque ad legitimæ quantitatem, & quoad exceſſum erit conditionale ex traditis per Boſſium *de dote cap.* 7, & Card. de Luca *diſc.* 14 *de dote*. Niſi teſtator utilitatem exceſſus aperte prohibuerit filię,quæ conditionem, onuſve integræ doti impoſitum reſpueret, ſicque individuam omnino voluerit legati quantitatem: tunc enim vel mulier integrum legatum exigens conſentire ipræſumitur voluntati diſponentis, vel ab exceſſu legitimæ ſe abſtinere debebit, ſi liberum paragium conſequi velit (1).

16 *Incerta* quoque dotis legatum paternum *purum* fere eſt, nec moram, neque conditionem continens.
„ Quæ enim mora eſt (inquit Papinianus in *l.* 1 *D. de leg.* 2), „ in boni viri arbitrio, quod injectum legato
„ velut certam quantitatem exprimit, pro viribus vi-
„ delicet patrimonii?

17 *Voluntarium* vero legatum vel dotis certæ, vel incerti paragii, quod fiat ab extraneo teſtatore, atque in locum legitimæ, aut neceſſariæ dotationis non ſubintret, quodcunque onus admittit, ac modum, conditionemque tam expreſſam, quam tacitam futuri conjugii. Ideoque appellatur, atque in dubio præſumitur *conditionale*, quod nonniſi poſt contractas nuptias deberi incipiat, & ante nec peti, nec tranſmitti poſſit, nullaque interuſuria pariat. Nihilominus modo clara, modo ex conjecturis inducta voluntas diſponentis extranei proferre ſolet purum quoque legatum dotis: idque ex facti circumſtantiis peculiaribus pendere aſſirmat Card. de Luca *in ſum. dot. n.* 70. Puta, ſi fructus intermedii temporis puellæ teſtator ſolvi

(1) Quare cantelam heic Mariani Socini adhibere ſolent teſtatores, qui prius exiſtimavit filio heredi inſtituto cum onere fideicommiſſi poſſe patrem prohibere detractionem legitimæ, ſi eum ſub conditione ſic inſtituerit in tota hereditate, ut fideicommiſſo legitimam quoque portionem ſuam ſubjiciat. De quo in *tract. de fideicom.* ſub *cap. de detract.*

mandaverit, ſi diſponendi facultatem ei ante nuptias morienti conceſſerit, ſi vocabulum dotis adhibuerit ad demonſtrandam potius executionem legati gratuiti, quam voluntatem futurarum nuptiarum, ſi puellæ in ſtatu cælibatus permanſuræ dotem reliquerit, ſive quovis alio modo noluiſse legatariam conditioni ſubjicere ſignificaverit.

18 Cæteræ autem quæſtiones in legatis dotalibus incidentes ob diem, & moram, & modum, & conditionem, & demonſtrationem, cauſsamque ſive finalem, ſive impulſivam, definiendæ ſunt ſecundum regulas communes legatorum, & fideicommiſsorum, de quibus in *tract. de fideicommiſſ. & in ſeq. cap. 6. n. 11. ad 15.*

C A P. VI.

DE SOLUTIONE DOTIS.

1 *Obligationem ſemel natam conſequitur ſolutio.*
2 *Marito, non uxori ſolvi dos debet.*
3 *Nec ſoluto matrimonio uxor exigendæ dotis a promiſſoribus habet actionem perſonalem, niſi heredes mariti eidem jus ceſſerint exigendi.*
4 *Sed realem & hypothecariam duntaxat.*
5 *Legatam vero dotem exigit ſine ceſſione.*
6 *Pater mariti, niſi receperit ipſe dotem, de peculio, deque in rem verſo tantum pro reſtituenda dote tenetur.*
7 *Apud filium tamen, qui onera ſui conjugii ſuſtineat, dos eſſe debet.*
8 *Parentes filio dotem recipienti conſentientes non tenentur Neapoli ad reſtitutionem, niſi realiter pro rata hereditatis filio prædefuncto debitæ.*

9 *Pater præterea ſolus dotem nurui reſtituit, etiamſi una cum patre illam receperit.*

10 *Sed jure communi omnes dotem exigentes in ſolidum tenentur.*

11 *Nonn'ſi poſt initas nuptias dies ſolvendæ dotis fere cedit ac venit: quaſi dotis etiam ante.*

12 *Atque in diem ſi promiſſa ſit, cedit ſtatim poſt nuptias, ſed non venit.*

13 *A die nuptiarum annus dilatæ ſolutionis computatur.*

14 *Ante conditionis eventum nec cedit, nec venit dies ſolutionis.*

15 *Pendente conditione dos perit periculo uxoris, non mariti.*

16 *Solutio pro ſatisfactione generatim accipitur.*

17 *Traditio rerum æſtimatarum ſolutionem continet.*

18 *Nomen debitoris ceſſum marito nomine dotis æſtimatæ, ipſius viri accipientis damno cedit, ſed inæſtimatum damno mulieris.*

19 *Per acceptilationem quoque ſolutio fit dotis.*

20 *Tam ſcripturis, quam teſtibus, cæteriſque legitimis conjecturis probatur ſolutio dotis.*

21 *Confeſſio receptæ dotis quandoque ſub ſpe futuræ numerationis, vel ſimulate fit.*

22 *Quæ in dubio non præſumitur donandi animo facta, & exceptioni dotis non numeratæ obnoxia eſt.*

23 *Intra annum iſta exceptio admittitur poſt matrimonium annotinum: intraque tres menſes poſt conjugium diuturnum annos decem non excedens: poſt decennale perit.*

24 *At Neapolit. & Barenſ. conſuetudines contra dotale inſtrumentum nullam fere probationem admittunt.*

25. In

25 *In ſimulata dotis ſcriptura veritas eſt attendenda pactorum.*

26 *Pro accepto vir habens majorem, quam non accepit dotem, ſubit obligationem reſtituendæ totius ſummæ confeſſæ.*

27 *Creditoribus tamen ſuis non iſtiuſmodi confeſſio nocebit.*

OBligatio dotandi ſemel aut ipſo jure, aut ex promiſſione, aut ex legato nata, illud juris vinculum
1 inducit, quo debitor ad ſolutionem obſtringitur, cogiturque. Hac idcirco de re inſpicere oportet perſonas exigere dotem valentes, tempus exigendi, ſpecies ſolutionis, & modos iſtam probandi.

2 I. Ad perſonas quod attinet, Non uxori, ſed marito contra ſocerum, qui dotem promiſerit, ejuſque ſucceſſores competit exactio dotis *l. ſi pater* 5 *C. de dot. promiſſione*. Si autem quæris, quomodo ab heredibus ſoceri maritus exigere dotem poteſt, cum eam mulieri redditurus eſt? Reſpondit Paullus, quum uxor actionem de dote ſua reciperanda habere cœperit, (puta per divortium, aut per mortem viri ſoluto matrimonio) neceſſe habebit maritus, ejuſve heres aut exactam do-
3 tem, aut actiones ei præſtare: nec ullam actionem habebunt ſoceri heredes adverſus eum, abſurde dicentes, dolo videri eum facere, qui petit quod reſtituturus eſt: non enim ipſi eidem quem convenit, ſed alii reſtiturus petit. Idque probatum & receptum in S. Conſilio teſtatur de Franchis *dec* 33 quoad dotem promiſſam, non vero legatam: propterea quod in contractibus plus attenditur pactum & contrahentis perſona, quam alterius contemplatio perſonæ; & actio contrahentibus ipſis acquiritur, non ei, cujus contemplatione contrahitur. Quamobrem, donec vir vivat, uxor nullam habebit actionem perſonalem exigendi dotem ſuam a pro-

promiſſoribus, eorumque heredibus ſine ceſſione viri ſui, eique contra impedire nequit exactionem a promiſſoribus, qui neceſſe non habet conſenſus uxoris ad agendum (1). Atque in Regno generatim ſoluto etiam matrimonio actionem exigendæ dotis viro, ejuſque heredibus competere ſpeciatim, animadvertit de Franch. *ibid. n.* 7. Quum enim actio ejuſmodi reſideat in perſona viri, illo mortuo tranſit ad ejus heredes, non ad uxorem *l. quum heredes* 23. *D. de adquir. poſſeſs.*

4 Nihilominus actione hypothecaria poſſe mulierem ſoluto matrimonio jure ſuo, & ſine viri heredum ceſſione agere contra quoslibet poſſeſſores bonorum ejus, qui dotem promiſit, nedum heredes, ſed etiam extraneos, & contra nomina debitorum ipſius promiſſoris, primum cenſuit Baldus in *d. l. ſi pro te pater C. de dotis promiſſione*. Quam ſententiam in jure fundatam & rationibus, & auctoritatibus ſuffultam dicit de Franch. *ibid. n.* 6: ſubdens jure communi dubitari poſſe, an facienda ſit prius diſcuſſio contra principalem debitorem, quæ jure Regni per Pragmaticas & clauſulas precarii, & conſtituti appoſitas in dotalibus inſtrumentis neceſſaria non eſt, Affl. *dec.* 139.

5 At vero ſi *legatum* dotis exactum a viro non fuerit, mulier ſoluto matrimonio actionem habet directam exigendi ſine prævia ceſſione *l. tali facta* §. 1 *D. de jur. dot.* Ad hanc idcirco rem diſcrimen maxime obſervandum inter dotem promiſſam, ac legatam, monuit de Franch. *d. dec.* 33 *n.* 10.

6 Si maritus ut filius familias, dos patri regulariter ſolvi debet, onera matrimonii ſuſtenturo, exactamque

[1] Ex antiqua Barenſi conſ. *maritus* ſub *tit. de jur. dot.* maritus de dote exigenda agens uxoris quoque voluntatem exquirebat, quamvis & ea agere poſſet teniṭente. Hodie tamen (ut *ibid.* obſervat Maxilla) ſolus maritus agit ſine conſenſu uxoris pro dote ſibi promiſſa.

que dotem nurui poſt diſſolutum conjugium reſtituturo, ut mulier majorem habeat cautelam. Etenim ſi filio familias dos data eſt, ipſe quidem dotis actione tenetur, pater autem ejus de peculio, ex diſputatione Tryphonini in *l. ſi filiofam.* 53 *D. ſol. matr.* Sed ſi ſocero data ſit, adverſus ſocerum agetur, neque poterit cum marito experiri, niſi patris heres extiterit: ſi autem filiofamilias juſſu ſoceri data ſit, adhuc abſolute ſocer tenebitur: ſi eidem filio non juſſu patris, nihilominus cum ſocero agi oportere ad id, quod eſt in peculio, vel in rem patris verſum eſt, Ulp. in *l. ſi cum dotem* 22 §. *tranſgrediamur* 12 *D. eodem*. Præterea que, ut Paullus reſpondit, in rebus dotalibus etiam pater mariti dolum, & culpam præſtare debebit *l. mulier bona* 72 §. 1 *D. de jure dotium*. Ulpianus inſuper quæſtionem agitavit, ſi filio dos data ſit, an pater duntaxat de peculio conveniretur? Et arbitratus eſt non ſolum de peculio, ſed & ſi quid præterea dolo malo patris capta, fraudataque eſt mulier, competere actionem *l. in bonæ fidei* 36 *D. de peculio*.

7 Penes filium vero, qui onera ſui matrimonii ſuſtineat, dos eſſe debet, ex Paulli axiomate in *l. ſi is* 56 §. 1 *D. de jure dotium*. Idcirco ſi a patre ſeorſim habitet cum uxore ſua, vel emancipatus ſit filius, huic, non patri dos perſolvi debebit, ut liberatio promiſſoris fiat.

8 Ex Neap. conſ. 1, & 2 *de patre recipiente dotes ſimul cum uxore & filio* cautum eſt, filio mortuo, qui duxit uxorem, & dotem recepit cum conſenſu patris, vel matris, aliorumve aſcendentium, parentes ipſi, qui conſenſum præſtiterunt, ad reſtituendas nurui dotes non tenentur, donec vixerint; ſed heredes ipſorum parentum ſolummodo reddere ſolutam dotem debent uſque ad æquivalentem quotam hereditatis, quæ ad prædefunctum filium, ſi ſupervixiſſet, pertineret.

9 Si autem pater & mater una cum filio conſcripſerint

in

in dotali inſtrumento dotem nurus recepiſſe, in caſu reſtitutionis pater ſolus, ſi erit ſolvendo, eam reddere tenetur.

10 Jure tamen communi videntur omnes obſtricti ex æquis partibus, mulier ſuam in ſolidum actionem dividere ſi velit *l. reos promittendi* 11 *D. de duobus reis ſtipul. & promitt.*

11 II. Tempus ſolvendæ dotis fere poſt contractas nuptias ſtatim cedit & venit: ſi enim ſequutæ non ſunt nuptiæ, agi non poteſt ob tacitam futuri matrimonii conditionem, quæ ineſt in dotium promiſſionibus, ut ſupra dictum eſt *cap.* 1 *n.* 5., & *cap.* 3 *n.* 14, impediens naſci obligationem, etiamſi expreſſa mentio habita non ſit futurarum nuptiarum: magis enim res, quam verba intuenda ſunt cum Paullo in *l. promittendo* 41 *D. de jur. dot.* Niſi agatur de *quaſi dote* expreſſim ante nuptias, vel pure ſine conditione futuri conjugii promiſſa, aut legata, vel de paragio in locum legitimæ debito: quia ante diem nuptiarum pecunia quaſi dotalis peti poteſt, & actio exigendi in hiſce caſibus tranſmittitur ad heredes, de Franch. *dec.* 618.

12 Si tamen promiſſio, aut legatum diem contineat, ipſo nuptiarum die cedit dies ſolutionis, ſed nondum venit, niſi tempus præfinitum effluxerit, *l. cedere diem* 213 *D. de ver. ſign.* Iſtoque caſu poſt initas nuptias ſtatim incipit deberi pecunia, licet peti non poſſit ante adventum conſtitutæ diei: pariterque ad heredes

13 jus exigendi transfertur. Tali autem facta ſtipulatione: decem in anno proximo dotis nomine dare ſpondes? ſi quæris, annus ex quo tempore ſit numerandus: utrum ex die ſtipulationis, an ex die nuptiarum? Reſponſum Juliani ſupra jam allatum eſt *cap.* 3 *n.* 13, ex die nuptiarum annum eſſe numerandum: ne ſi aliter obſervaremus, nuptiis intra annum minime factis, videri poſſit dos ea obligatione deberi *l. tali facta* 48 *D. de jur. dot.*

14 Quo-

14 Quoties autem alia conditio expreſſa ultra tacitam futurarum nuptiarum ſtipulationi, legatove dotis adjecta ſit, nec cedit, nec venit dies ſolutionis pendente adhuc conditione, *d. l. cedere diem*.

15 Si a debitore mulieris ſub conditione dos promiſſa fuerit, & poſtea, ſed antequam maritus petere poſſet, debitor ſolvendo eſſe deſierit, magis periculum ad mulierem pertinere placet: nec enim videtur maritus nomen debitoris ſecutus eo tempore, quo exigere non potuit. Quod ſi jam tunc debitor, cum ſub conditione promitteret, ſolvendo non fuerit, periculum viri eſſe, quod ſciens tale nomen ſecutus videretur, quale initio obligationis fuerit, Paul. *in l. promittendo* 41 §. 3 *D. de Jur. dot.*

16 III. Quoniam vero dilata exactio, vel non facta ſolutio pro ſolutione aliquando habetur, liberationem in promiſſoribus inducens, & viciſſim obligationem reſtituendi in viro, ejuſque heredibus; opere pretium eſt ſpecies ſolutionis dotalis ediſſerere. Profecto „ ſolutionis verbum pertinet ad omnem liberatio„ nem quoque modo factam: magiſque ad ſubſtantiam „ obligationis refertur, quam ad nummorum ſolutio„ nem, ait Paulus in *l. ſolutionis* 54 *D. de ſolutionibus*. Et cum Ulpiano „ ſolvere dicimus eum, qui fa„ cit, quod promiſit, *l. ſolutionis* 176 *D. de verb. ſign.*

17 Traditio rerum dotalium æſtimatarum præſefert dotis ſolutionem. Si rem æſtimatam mulier in dotem dederit, deinde ea moram faciente in traditione, in rerum natura eſſe deſierit, actionem reſtituendæ dotis ei non dari putavit Ulpianus in *l. ſi rem* 14 *D. eodem*: quia facta non eſt ſolutio. Quod ſi per eam non ſtetiſſet, perinde pretium ſoluto matrimonio aufert, ac ſi tradidiſſet: quia quod evenit in jactura æſtimatæ rei, emtoris mariti periculo eſſe, reſpondit Pomponius in *l. quod ſi* 15 *D. eodem*.

18 „ Si

18 „ Si nomen ſit diſtractum, (quemadmodum dotis æſtimatæ cauſſa datum marito diſtrahitur) „ Celſus ſcribit locupletem eſſe debitorem, non debere „ præſtari a diſtrahente; debitorem autem eſſe, præſtari debere, niſi aliud convenit. Ideoque nomen debitoris æſtimatum, licet inexigibile, vir accipiens ſibi præjudicat, ſibique tribuat, ſi ſciens ita receperit. „ Qui autem cum alio contrahit, vel eſt, vel debet „ eſſe non ignarus conditionis ejus, Ulp. in *l. qui cum alio* 19 *D. de reg. juris*. Verum ſi expreſſe datum non ſit in ſolutum, vir non debet cenſeri emtor nominis, neque obligatus ad reſtituendam pecuniam, ſed nomen ipſum doti acceptum, ne mulier cum viri heredum jactura lucretur, ut decifum refert de Franch. *dec.* 108.

19 „ Accepti quoque latione dos conſtituitur, (ſimul ac brevi manu traditur) „ quum debitori marito „ acceptum feratur dotis conſtituendæ cauſſa, ait „ Paullus in *l. promittendo* 41 §. 2 *D. de jur. dot.* Puta, ſi mulierem nupturam ſponſus ejuſdem debitor ſic interrogaverit: *quod ego tibi debeo, habes ne acceptum dotis nomine?* Et ea reſponderit: *acceptum habeo*. Aut ſic cum Ulpiano: *accepta facis decem* dotis nomine? *facio*, illa reſponderit, *l. ſane & ſic* 7 *D de acceptilatione*. Aut ſi formulam dictionis adhibens nupta vel nuptura ſic pronunciaverit: *quod mihi debes*, vel *quod mihi filius tuus debet*, doti *tibi erit*, *l. ſi pater* 44 §. 1 *D. eod.* Scævola ait matrimonii cauſa acceptilationem interpoſitam non ſecutis nuptiis nullam eſſe, atque ideo ſuo loco manere obligationem, nec liberationem contingere, *l. licet ſoleat* 43 *D. de jur. dot.* Effectus tamen acceptilationis nomine dotis alius eſt in obligatione debitoris pura, alius in obligatione conditionali. Si pura quidem ſit obligatio debitoris mariti, quæ accepto lata eſt, non ipſa jam reſtituenda ſit, ſed ſolvenda dos ſecundum ſua tempora. Sin ve-

ro obligatio in diem fuit, nec ante ſolutum matrimonium dies obligationis præteriit, reſtauranda eſt in diem priſtinum obligatio. Similique modo ſi conditionalis fuerit obligatio, quæ in dotem converſa eſt, & pendente obligatione ſolutum fuerit conjugium, obligatio ſub eadem conditione reſtitui debet. Sed ſi conditio extiterit conſtante matrimonio, ex die ſoluti matrimonii tempora exactionis numerantur, *d. l. licet ſoleat*.

20 IV. Quod ad probationem. Suſceptio & ſolutio dotis ſcripturam non requirit, amiſſiſque inſtrumentis ſine dubio cetera probationum indicia jure prodita non habentur irrita *l. cum citra fidem* 15 *C. de jur. dot.* Nihil enim prohibet, & ſi ſine ſcriptis dos vel detur, vel promittatur, vel ſuſcipiatur, intelligi factam ſtipulationem ex utraque parte, & perinde vim habere, ac ſi fuerit ſcripta, dummodo legitimis conjecturis & præſumtionibus, teſtibuſque idoneis, aliiſque documentis probetur *l. un. §. & nemo C. de rei uxoriæ actione*. Communes itaque ſunt doti cum reliquis contractibus ſcriptura non conſiſtentibus regulæ probationum.

21 Confeſſio quidem receptæ dotis in ſcriptis, vel ſine ſcripto habita veritatem exactionis & ſolutionis ſemper non indicat, quum ſæpe revocetur in dubium, ceu facta ſub ſpe futuræ numerationis, vel ad pompam ante nuptias per virum, qui cito uxorem ducere exardeſcens, vel magnam accepiſſe dotem oſtentare affectans, conſcribere ſolet inſtrumentum receptæ dotis, quam revera non acceperit. Et quoniam „ dotem nu„ meratio, non ſcriptura dotalis inſtrumenti facit *l. 1 C. de dote cauta non numerata*; confitenti non nocebit unquam non vera, aut ſimulata dotis confeſſio.

22 Neque præſumitur in ambiguis ſcripta, ſed falſa confeſſio per maritum animo donandi facta, juxta veriorem DD. ſententiam: nanque cum Marciano ſolut am pecuniam intelligimus utique naturaliter

ter, ſi numerata ſit creditori *l. ſolutam* 49 *D. de ſolut. & liberat.* Et ubi alia diverſæ voluntatis conjectura ſumi poteſt, donatio in dubio non cenſetur tanquam odioſa: ,, quis enim ita reſupinus eſt, ut facile ſuas ,, pecunias jactet, & indebitas effundat, *l. cum de indebito* 25 *D. de probationibus*. Ideo locus erit exceptioni non numeratæ dotis nedum marito contra promiſſorem, ejuſque heredes dotem conſtante matrimonio exigenti; ſed etiam heredibus mariti contra mulierem ſoluto matrimonio repetentem: ſocero etiam, ejuſve heredibus, ſi eum cum filio ſuo dotem ſuſcepiſſe dotalibus inſtrumentis ſcriptum ſit, *l. in dotibus* 3, *ſeu fin. C. de dote cauta non numerata*.

23 Opponi autem debet hæc exceptio intra annum continuum a morte mariti, vel mulieris, ſeu a die ſoluti matrimonii computandum *d. l. in dotibus*: dummodo intra biennium a die falſæ cautionis ſolvatur matrimonium. Si vero ultra biennium uſque ad decem annos conjugium conſtiterit, & marito, & heredi ejus intra tres menſes querela, ſeu exceptio ejuſmodi permittitur. Sed ſi decennium tranſcurrerit, omnino denegatur, & opponi amplius nequit: permiſſa tantum reſtitutione in integrum ob minorem ætatem, aliamve cauſſam forſan competente, ut Juſtiniano placuit, Nov. 100, unde ſumta eſt *auth. quod locum habet C. eod.* Profecto ex diuturna taciturnitate præſumta inducitur renunciatio *l. cum poſt divortium* 69 *D. de jur. dot.* Inibi enim ex patientia & ſcientia viri longo tempore non exigentis dotem id conveniſſe tacite videtur Papiniano, ne dos quæ promiſſa fuerat, petatur: & poſt, ſi petere cœperit, taciti pacti exceptione petitor repellatur. Quod conſentaneum eſt celeberrimæ ejuſdem Jurec. regulæ in *l. Procula* 26 *D. de probat. & præſumt.*, per quam ratio ſanguinis, longi temporis taciturnitas, mutua rationum redditio & computatio tacitam remiſſionem cauſantur fideicommiſſi, pariterque dotium,

aliorumque jurium. Si quid autem iſtorum trium requiſitorum defecerit, facta non præſumitur remiſſio, ut notat *ibid. gl.* Gothofredi.

24 Abſona proinde a jure non videtur neapolitana *conſ. ult. de jure quartæ*, per quam contra inſtrumentum dotale nulla fere probatio admittitur (1). Nam ipſo jure præſumitur id placuiſſe ſtipulantibus, quod ſcriptum rite eſt, acceptumque viciſſim habuiſſe, quod re vera non acceperint.

25 Et quoties oſtentandi cauſſa & ſimulandi amplam dotis conſtitutionem, quæ modica & minor revera ſit, maritus receptionem majoris quantitatis conſcripſerit, tunc magis veritas, quam ſimulatio attendenda eſt ex eo rubricæ Pandectarum axiomate: ,, plus valere quod agi- ,, tur, quam quod ſimulate concipitur. Et cum Ulpiano ,, ſemper in ſtipulationibus & in cæteris contracti- ,, bus id ſequimur, quod actum eſt *l. ſemper 34 D. de reg. juris*. Nec enim ſimulatio plus uni paciſcentium, quam alteri prodeſse, aut contra obeſſe debebit. Ea idcirco quantitas doti computabitur a bono viro tam pro cogendis promiſsoribus ad ſolutionem, quam marito, ejuſque

[1] In Civitate quoque Barenſi ,, moribus receptum eſt, ut
,, dos nunquam ſine ſcriptura nulla ratione probetur, niſi
,, ante patriæ infortunium matrimonium conſtiterit fuiſſe con-
,, tractum. Sed ſi data negetur, aut reddita, pars infician-
,, tis ſe reddat idoneam ſacramento. De dotibus quæ ante ca-
,, ſum patriæ datæ dicuntur, hæc proviſio a ſapientibus eſt
,, introducta, ut ſi inſtrumenta dotalia dicantur amiſſa, in-
,, ſpecta qualitate perſonarum & patrimonii facultate juſta
,, dos arbitrio judicis ſtatuatur, quæ talibus matrimoniis po-
,, tuit convenire: & ſi de inſtrumentorum caſu & dotis qua-
,, litate a muliere, vel ejus hæredibus cum judicis taxatio-
,, ne juretur, ut locus pateat actioni. Ita cautum eſt in Ba-
renſi conſ. *moribus*, & *ſeq. de jure dotium*. Et per aliam ejuſ-
dem loci conſ. *licet* ſub *tit. de teſtib.* ,, licet vivæ vocis te-
,, ſtimonio ſit credendum, tamen interdum fides teſtium mi-
,, nus ſufficientes judicantur, utpote ſi dos petatur. Iſtoſ-
que mores promanaſſe ex jure Longobardorum, ſatis innuunt
leges eorundem, & præſertim *l. 1 de his quæ a viro in mulidan.*
& *l. fin. de his quæ ſine voluntate mundualdi.*

ejuſque heredibus ad reſtitutionem, quæ, ſimulatione ſemota, ſit revera promiſſa vel ſoluta *l. ſi pater dotem* 12 §. 2 *D. de pactis dotalibus*. Ubi Paulus exceptionem denegat ei mulieri, quæ pacta ſit „ ne amplius „ quam pars dimidia dotis a ſe petatur, & pœnam „ ſtipulata ſit; ſi alterutro ea contenta non fuerit.

26 Cæterum quod de ſuo maritus conſtante matrimonio donandi animo in dotem expreſse adſcripſit, coguntur ejus heredes uxori præſtare, *ex l. quod de ſuo* 2 *C. de dote cauta non numerata*. Eamque ob rem, ubi dotis ſolutæ confeſſionem legitime confectam aperta donandi voluntate non revocavit uſque ad mortem, quamvis revera ſoluta non fuerit, dotem integram tunc mulier recte poterit ab heredibus petere.

27 Sed confeſſio iſtæc nequaquam officit creditoribus viri, tam ſi tacita ex juris præſumtione ob longi temporis lapſum, quam ſi expreſsa fuerit. Creditores enim, qui hypothecam quæſiverint ante confeſſionem ejuſmodi, exceptionem non numeratæ pecuniæ, vel dotis ſemper poſsunt adverſariis opponere, tametſi debitor eam intra ſtatuta tempora nunquam objecerit *l. ſi cui* 15 *C. de non numerata pecunia*. Periniquum porro eſt fictam dotem antiquioribus creditoribus præferri, qui veram pecuniæ creditæ numerationem præſtitere. Secus tamen dicendum erit de acceptilatione dotis, vel ficta confeſſione ante nuptias, & ante creditorum hypothecas habita ſine dolo ac fraude, ex iis, quæ tradit Gothofred. ad *l. aſsiduis* 12 *C. qui potiores in pignore habeantur lit. l.*

CAP. VII.

DE USURIS ET FRUCTIBUS DOTALIBUS.

1 *Uſuræ dotales vicem fructuum obtinent.*

2 *Quæ marito conjugalia onera ferenti debentur a die, quo peti poteſt ſolutio dotis.*

3 *Etiam ſine ulla interpellatione, & conventione.*

4 *Secus quam in aliis contractibus, in quibus ſine interpellatione, moraque regulari non decurrunt.*

5 *Mora regularis ab irregulari diſtinguitur.*

6 *Et quamvis in arbitrium mariti collata ſit petitio dotis, uſuræ decurrunt a die nuptiarum ſine interpellatione.*

7 *Pariterque ſi alterius arbitrio fuerit taxatio dotis remiſſa.*

8 *Contra minores quoque & feminas dotem ſolvere debentes currunt ſic interuſuria.*

9 *Cumulatæ nimis uſuræ dotales uſuras quandoque pariunt marito damnum exinde paſſo: vel ſi conventum ſit eaſdem in ſortem redigi ad tempus.*

10 *At quouſque onera matrimonii vir non ſuſtinet, dotales uſuras non quærit.*

11 *Vel jure actionis, vel officio judicis uſuræ iſtæ poſtulantur.*

12 *Taxatæ a paciſcentibus uſuræ debentur, dummodo decimam ſortis partem non excedant.*

13 *Alias judex eas taxabit ex more regionis.*

14 *Ex Regni conſuetudine ſolvuntur ad rationem ducatorum 6 ⅔ pro 100 uſuræ dotium, & antefati ad rationem 5 pro 100.*

15 *Pro dote in rebus mobilibus ineſtimatis promiſſa non*

non currunt uſuræ, niſi poſt interpellationem.

16 *Prædiorum vero dotalium inæſtimatorum fructus cedunt in locum uſurarum.*

17 *Et fructus etiam exceſſivi ex oppignerato fundo per maritum percepti ei omnes cedunt.*

18 *Acceptio pecuniæ dotalis in dubio remiſſionem uſurarum non cauſatur.*

19 *Mulieri vel interuſuria dotis reſtituendæ, vel antenuptialia petenti, minus quam viro favent leges.*

20 *Soluto matrimonio poſt annum luctus jure communi uſuras petit vidua, ex neap. conſ. alimenta quoque intra annum.*

21 *Filii maternarum dotium uſuras titulo lucrativo acquirunt poſt interpellationem.*

22 *Antenuptiales uſuræ ſere interpellationem, litiſve conteſtationem requirunt.*

23 *Non tamen uſuræ paragii, quod in locum legitimæ ſubrogatur.*

24 *Sed alimenta fratres Neapoli præſtant ſorori ante nubilem ætatem pro paragii fructibus, qui poſtea taxantur ad rationem 5 pro 100.*

25 *Minori etiam feminæ ſine interpellatione uſuras tribuunt leges.*

26 *At pendente dilatione conventionali ſuſpenditur uſurarum curſus.*

27 *Et ubi ſolutionis mora proveniat ex culpa creditoris.*

28 *Longævo quoque ſilentio amittuntur uſuræ.*

29 *Niſi voluntas eas non remittendi ex circumſtantiis conjiciatur.*

1 ,, USuræ vicem fructuum obtinent ; & merito ,, non debent a fructibus ſeparari : quemadmodum in judiciis bonæ fidei generatim ſervari docuit Ulpianus in *l. uſuræ* 34 *D. de uſuris & fructibus & cauſsis & omnibus acceſsionibus & mora*. Quare
2 ſtatim ac tempus ſolvendæ dotis advenerit, quoaduſque ſolutio differatur, interuſuria & fructus tam naturales, quam civiles continuo debentur marito. Nanque (ut Ulpianus ſine diſcretione temporis generatim affirmavit) ,, dotis fructum ad maritum pertinere ,, debere æquitas ſuggerit: cum enim ipſe onera matrimonii ſubeat, æquum eſt eum etiam fructus percipere *l. dotis fructum* 7 *D. de jur. dotium*. Et Tryphoninus ideo putavit ,, poſt contractas nuptias ,, ſequuti temporis uſuras non eſſe dotales in *l. ſi mulier* 77 *D. eodem*; quia dotem non augent, eaſque pleno jure uti fructus dotales maritus facit ſuas, nedum ſecundum leges, verum etiam ſecundum canones. Innocentius enim III generum ad fructus poſſeſſionum, quæ ſibi a ſocero eſſent pro dote pignori obligatæ, computandos in ſortem, non cenſuit compellendum, *cap. cum ſalubriter* 16 *de uſuris*. Qua ex decretali perſpicuum eſt omnes pignoris dotalis fructus integre marito adquiri ſine labe uſuraria, ut infra *n.* 17.
3 Et niſi dilatio ſolvendæ dotis conventa ſit, uſuræ dotales decurrunt a momento ad momentum a die contracti connubii, licet minime promiſſæ, nec conventæ, & ſine interpellatione: quoniam favore dotis dies ipſa debendi interpellat pro homine, & ipſa onerum conjugalium ſuſtentatio moram interuſurii cauſativam operatur, & moroſum efficit debitorem: non aliter quam in caſu *l. magna* 12 *C. de contrah. ſtipul.* Ex qua ſciat ,, minime ſe poſſe debitor ad evitandam ,, moræ pœnam ſtipulatam objicere, quod nullus ,, eum admonuit; ſed etiam citra ullam admonitio-

,, nem

„ nem eidem pœnæ pro ſtipulationis tenore fiet obno-
„ xius: quum ea, quæ quis promiſit, ipſe in me-
„ moria ſua ſervare, non ab aliis ſibi manifeſtari de-
„ beat poſcere.

4 Hoc igitur diſcriminis eſt inter dotis interuſurium, illudque aliorum contractuum tam bonæ fidei, quam ſtricti juris debitum ob moram ratione lucri ceſſantis & damni emergentis: propterea quod ſine ſtipulatione non decurrit in contractibus bonæ fidei, niſi a die contractæ moræ: & in contractibus ſtricti juris a die litis conteſtatæ *l. uſurâ*, *& ſeq. D. de uſuris*. Mora autem fieri intelligitur (inquit textus in *l. mora* 32 *D. eod.*) non ex re, ſed ex perſona; ideſt ſi interpellatus opportuno loco non ſolverit, quod apud judicem examinabitur: & in bonæ fidei contractibus ex mora

5 uſuræ debentur. Exinde moram *regularem*, quæ interpellationem creditoris, litemve conteſtatam exigit, diſtinguunt a mora *irregulari*, quæ ſine requiſitione contrahitur, de Franch. *dec.* 16.

6 At vero, etiamſi dotis ſolutionem arbitrio viri & ad omnem ipſius requiſitionem & beneplacitum promiſerint dotantes, adhuc ſine interpellatione currunt uſuræ ex *l. cum ſtipulatus* 113 *D. de verb. obligat.* Ubi Proculus aperte probavit arbitratu creditoris, in quem factio operis, pariterque ſolutio collata ſit, moram & moræ pœnam in ſtipulatione comprehenſam minime tolli.

7 Quemadmodum & ſi alieno arbitrio dos taxanda ſit, & quantitas ejuſdem fuerit incerta, adhuc uſuræ intermedii temporis pendente taxatione debentur, propterea quod ſubſtantia debiti jam certa eſt, Card. de Luca *diſc.* 161 *de dote num.* 17. Minime vero, ſi judex congruam dotem ex officio taxaverit filiæ nuptæ, patre invito vel inſcio. Hoc enim caſu non quidem a die nuptiarum, ſed a die conſtitutæ dotis decurrunt uſuræ, nec taxatio iſta retrotrahitur, Rota *par.* 4 *re-*

cent. tom. 2 *dec.* 282. Card. de Luca *loc. cit. num.* 33

8 Nec minor ætas, nec ſexus imbecillitas a dotalium uſurarum ſolutione valet excuſare in dote neceſſaria, Card. de Luca dicto *diſc.* 161 *num.* 11: quoniam privilegia minorum privilegiis dotium conquaſſantur, & æquitas non patitur maritum ſine commodo fructuum dotalium ſentire incommoda conjugii. Præſertim vero, ſi mora iſtæc irregularis cum defuncto natu majore cœpta ſit, decurret quoque in minorem ejus heredem, ex Paullo in *l. Æmilius* 38 *D. de minorib.* de Franchis *dec.* 16 *num.* 9.

9 Uſurarum quoque uſuras, ſi priores uſuræ centum ducatos exceſſerint, deberi, ſcribit Amend. ad de Franchis *dec.* 217 *num.* 2. Quod verum tunc eſſe videtur, ubi poſitivum damnum & gravis jactura bonorum marito emerſerit ex diutina uſurarum, fructuumque dotalium mora & dilatione. Aut ſi ita conventum ſit, ut fructus dotales in ſortem vertantur ad tempus aliquod, & poſt ex ſorte coagmentata fructus vir percipiat: hoc etiam caſu (ut Ulpianus docuit) „ erunt „ in dote fructus, & fruetur iſte vir uſuris, quæ ex „ fructibus collectis, & in ſortem redactis percipi poſſunt *l. ſi convenerit* 4 *D. de pact. dotalibus* (1).

10 Contra pro eo tempore, quo vir onera matrimonii non ſuſtineat (puta ſi mulier ſtetit in ſuorum paren-

[1] Haſce uſuras ex multiplicatis in ſortem redactis obvenientes *anatociſmi anniverſarium*, uſuræ *renovationem ſingulorum annorum* appellavit Cicero *lib.* 5 ad Attic. *ep. ult.* „ Interim cum in edicto translatitio centeſimas me obſer„ vaturum haberem, cum *anatociſmi anniverſario*, ille ex ſyn„ grapha poſtulabat quaternas. Priores enim uſuræ erant menſtruæ, poſteriores vero annuæ, quum nonniſi anno vertente ſolverentur ejuſmodi anatocæ, uti D. Gothof. ad eand. *ep.* notat. Idque liquet ex eodem Tullio, qui *ep.* 1 *lib* 6 ad Attic. eadem de re ſic ſcribit: „ confeceram, ut ſolverent „ centeſimis ſexennii ductis cum renovatione ſingulorum an„ norum. At Scaptius quaternas poſtulabat.

rentum domo ſeorſim a viro) ob ceſſantem finem legis , lex ipſa dotales uſuras præcipiens ceſſare debet : Meritoque reſpondit Papinianus , quod „ in domum „ abſentis mariti uxore deducta , nullis in eam inter- „ ea ex bonis viri ſumtibus factis ad alimenta uxoris , „ promiſſas uſuras reverſus vir improbe petit *l. cum poſt divortium* 69 *D.de Jur. dotium* . Eademque ratione, ſi pactum dotale intervenit ejuſmodi , ut maritus fructus in dotem converteret , & mulier ſe , ſuoſque aleret , vel tueretur , & univerſa onera ſua expediret , quare cum Ulpiano non dicas conventionem valere? Sed ſi convenerit , ut fructus in dotem , ſeu ſortem dotalem ſemper converterentur , ratum non eſſe pactum , idem Juriſconſultus cum Marcello ſenſit : prope enim indotata mulier hoc pacto fieret , & ſterilis dos eſſet : erunt igitur in dote fructus , & fruetur vir uſuris, dicta *l. ſi convenerit* 4 *D. de pact.dotal.* (1). Cæterum quoad uſuras illicitas cum ſorte miſtas, ipſas tantum non deberi conſtat , ſortem utique non vitiare, ex Paullo in *l.uſuras* 20 *D.de uſuris*.Et ſive ſupra ſtatutum modum quis uſuras ſtipulatus fuerit , ſive uſurarum uſuras , quod illicite adjectum eſt pro non adjecto haberi , & licitas peti poſſe , placuit Martiano in *l.placuit* 29 *D. de fructibus* .

11 Dupliciter poſtulari poſſunt dotales uſuræ : vel ſcilicet *jure actionis* , ſi pacto expreſſo conventæ ſint ; vel *officio judicis* , ubi deductæ non fuerint in pactum .

12 Si

---

[1] Ex dictis facile conciliatur Papinianus cum Tryphonino . Ille in *l. cum poſt divortium* 69 §. 1 *D. de jur. dot.* „ uſu- „ ras promiſſæ dotis portionem eſſe pronunciavit , quia eas uſque ad diem nuptiarum decurrendas mulier nuptura in ſortem dotis promiſit . Hic vero in *l. ſi mulier* 77 *D. eod.* „ poſt „ contractas nuptias ſecuti temporis uſuras non eſſe dotales „ affirmavit .

Si pro dote promiſſa uſuras daturum ſocer tuus ſpopondit, id quod deberi oſtenderis, competens judex ſolvi tibi præcipiat, Gordianus in *l. ſi pro dote 2 C. de dot. promiſſ.* Unde liquet pacto contrahentium recte conſtitui taxam uſurarum modo minorem, modo majorem, dummodo non excedat rationem decem pro quolibet centenario probatam in bulla Nicolai Papæ V, quæ incipit *ſolicitudo paſtoralis*, impreſſa atque pro hoc Regno recepta in *prag.* 1 *de cenſibus*. Per quam cenſus annuus, fructuſque civilis nequit decimam partem ſortis excedere (1). Et Rocc. *reſp.* 39 *to.* 2, laudatus per C.A. de Luca adde Franch. *obſerv.* 217, taxatum dotis interuſurium a S. C. ad rationem 10 pro 100 refert in caſu, quo vir pro legato dotium uxori ſuæ reliquerat capitalia cenſus conſignativi, ſeu nomina debitorum, qui decimam ſortis partem quotannis pro cenſu perſolvebant.

13 Deficiente pacto, ſi commune jus attendamus, „ arbitrio judicis uſurarum modus ex more regionis, „ ubi contractum eſt, conſtituitur: ita tamen ut legem non offendat, juxta regulam a Papiniano traditam in *l.* 1 *D. de uſuris*. Bonus autem vir congruam faciet taxationem inſpecta quantitate fructuum, quos pecunia dotalis producere ſolet in loco, & lucri ceſſantis, damnique emergentis, itemque induſtriæ perſonarum in uſu negotiandi.

14 Hoc

---

(1) Juſtinianus autem in *l. eos qui* 26 C. *de uſuris* definiverat rationem uſurarum perſonis illuſtribus uſque ad tertiam partem centeſimæ, ſeu trientem quotannis. Mercatoribus beſſem centeſimæ, ſeu 8 pro 100. Plebeis dimidiam centeſimæ, ſeu 6 pro 100. In trajectitiis vero contractibus, vel nautico fœnore uſque ad centeſimam, ſeu 12 pro 100: ſic dictam quod centenis menſibus uſuræ ſortem æquarent. Idemque Imperator in *l. fin.* §. 2 *C. de jur. dot.* uſuras dotium reſtituendarum uſque ad tertiam partem centeſimæ præſtari juſſit.

14 Hoc in Regno mos inolevit liquidandi eaſdem dotium uſuras ad rationem ducatorum ſex, duorumque tertiorum pro ſingulis centenis: uſuraſque antefati ad rationem ducatorum quinque, ſicuti refert deciſum in S. C. Grammat. *dec.* 103, & de Franchis *dec.* 217 *n.* 2. Ubi animadvertitur jam diu minime ſervari quoad interuſurii quantitatem neap. conſ. *viro mortuo*, ſeu verius ſeq. conſ. *heredeſque mariti* ſub tit. *de jure dotium*, quæ præſcribebat tarenum unum pro qualibet uncia auri data in dotem: quoniam duos tarenos pro uſura cujuslibet unciæ perſolvi declaravit *ibid.* Amendola: æquantes rationem 6 ⅔ pro 100. Atque interuſurium paragii per primogenitum debiti liquidari ad rationem ducatorum 5 pro 100, teſtatur Mormile ad *conſt. in aliquibus n.* 16 (1). Et hæc ratio 5 pro 100 noſtris temporibus ſervatur generatim pro uſuris dotalibus.

15 Quod locum obtinet in dote æſtimata regulariter; tam ſi promiſſa fuiſſet in pecunia numerata, argentove, quam in muliebribus ornamentis, ac veſtibus, aliiſque mobilibus. Secus vero, ſi res ejuſmodi mobiles minime fuiſſent æſtimatæ, ſed in earum ſpecie promiſsæ, pro quibus uſuras non deberi, niſi poſt litem conteſtatam, quæ judiciariam præſefert interpellationem, moramque regularem ſecundum aliorum contractuum leges, definivit Juſtinianus in *l. cum quidam fin. §. præterea 2 C. de jur. dot.* Idemque dicendum videtur de inæſtimato tritico, vino, oleo, aliiſque ſimilibus pondere, numero, menſurave conſtantibus rebus: quarum traditione dilata, moroſus dotis debitor nonniſi pretium tempore litis conteſtatæ, contractæque moræ regularis currens perſolvere debet; non majorem fortaſſe intermedii temporis valorem, nec quan-

(1) Diverſas locorum taxas uſurarum dotalium commemorat Card. de Luca *diſc.* 113 *de dote num.* 9, & *diſc.* 115 *num.* 19.

quanti plurimi intereſset viri ob moram irregularem. Cum enim quæſitum eſſet, cujus temporis æſtimatio fieret vini mutuo debiti: utrum cum datum eſset, an cum litem conteſtatus fuiſset, an cum res judicaretur? Sabinus reſpondit „ ſi dictum eſset quo tempore red- „ deretur, quanti tunc fuiſset: ſi non, quanti tunc, „ cum petitum eſset, *l. vinum* 22 *D. de rebus creditis, ſi certum petatur, & de condictione*. Iſtoque caſu totum id, quod intereſt viri ob moram dotantis, ſive infra, ſive ſupra decimam ſortis partem, reficere moroſus debitor compellitur.

16 Similiter prædiorum, fundorumque dotalium inæſtimatorum *fructus* omnes percepti antequam viro traderentur, ſive majores, ſive minores viro præſtari debent, *arg. d. l. cum quidam fin.* Quandoquidem fructus prædiorum cedunt in locum uſurarum, ut dictum eſt ſupra *num.* 1. Prædiorumque urbanorum penſiones pro fructibus accipiuntur ab Ulpiano in *l. prædiorum* 36 *D. de uſuris*. Quin fructus prædiorum, aliarumque rerum qua naturales, qua civiles magis debentur, quam uſura pecuniæ, ex quæſtionibus Papiniani in *l. ſi navis* 62 *D. de reivind.* „ Nam etſi „ vectura, (puta navis) ſicut uſura nummorum „ non natura provenit, ſed jure percipitur, ta- „ men ideo peti poteſt a malæ fidei poſſeſſore vectura, „ quam non percepit, ſed percipere potuit, quoniam „ periculum navis poſſeſſor petitori præſtare non de- „ bet, quum pecunia periculo dantis fœneretur, ait Jureconſultorum princeps. Conſequitur exinde fructus nedum perceptos, ſed eos etiam, qui percipi potuiſſent ex rebus dotalibus, viro præſtari debere per moroſum debitorem, non aliter quam fraudatis creditoribus ex *l. ait Prætor §. per hanc actionem D. quæ in fraud. cred.* de Franch. *dec.* 558 *n.* 7.

17 Prætereaque Innocentius III in *cap. ſalubriter* 16 *de uſuris* reſcripſit fructus poſseſſionum, quæ pro dota-

dote promiſsa viro pignori obligatæ forent, traditæ per contractum antichreſis, quem vulgo nuncupant *a godere*, computandos in ſortem non eſse; licet excedentes rationem uſuræ licitæ: puta interuſurii cenſualis, quod decimam ſortis partem nequit exſuperare, ut ſupra dictum eſt *n.* 12.

18 Quoties autem vir pecuniam dotalem a moroſo debitore ſimpliciter, ac ſine aliqua præſtatione uſurarum recipiat, remiſiſse non præſumitur interuſuria, ſed ejuſmodi ſolutio imputabitur potius in ſatisfactionem interuſurii, quam ſortis principalis: proptereaquod generaliter conſtitutum eſt prius in uſuras nummum ſolutum accepto ferendum, ut reſpondit Ulp. in *l. in his vero* 5 §. 2 *D. de ſolut. & liberat.* Ibique §. *ult.* Juriſconſultus idem non dubitat „ ſi quis ita caverit debi-„ tori *in ſortem, & uſuras ſe accipere pecuniam* „ quin potius ad uſuras extinguendas imputetur, & ſi „ quid ſuperfuerit, in ſortem cedat: licet in principio ejuſdem legis affirmaverit „ favore debitoris, quo-„ tiens indiſtincte quid ſolvitur, in graviorem cau-„ ſam videri ſolutum. Conſonat Antonin. Imp. in *l.* 1 *C. de ſolut. & liberat.* ſic ajens: „ In poteſtate ejus „ eſt, qui ex pluribus contractibus pecuniam debet, „ tempore ſolutionis exprimere in quam cauſsam red-„ dat: quod ſi debitor id non fecit, revertitur electio „ ad eum, qui accepit: ſi neuter voluntatem ſuam „ expreſſerit, prius in uſuram id quod ſolvitur, dein-„ de in ſortem accepto feretur.

19 Uſquemodo traditæ interuſurii regulæ uſuveniunt, vimque ſuam habent in uſuris veræ dotis, nonniſi conſtante matrimonio vel vero, vel putativo decurrentibus in beneficium viri contra dotantes. Soluto autem matrimonio, vel ante nuptias ob ceſsantem onerum conjugalium ſuſtentationem & compenſationem, cui maxime favent leges, non æque favorabilis eſt cauſsa mulieris vel viduæ, vel nupturæ in poſtulando in-

te-

teruſurio aut dotis reſtituendæ per viri heredes; aut quaſi dotis.

20 Soluto quippe matrimonio interrumpitur uſurarum dotalium curſus, ob deficientem conjugalium onerum cauſsam, adeout relictæ viduæ non debeantur, quouſque pendeat dilatio unius anni per Juſtinianum conceſſi ad reſtituendas dotes in rebus mobilibus, vel incorporalibus conſiſtentes: poſt vero tranſactum ejuſmodi tempus, illico præſtari utique debent ex *l. cum quidam fin. §. praterea C. de jur. dot.* Quod minime variatum jure municipali hujus Regni, ſed conſuetudinario duntaxat hujus Civitatis. Intra cujus diſtrictum heredes viri tam liberi, quam extranei alimenta relictæ viduæ præſtare coguntur, quouſque dotes ei reſtituere diſtulerint intra annum quoque luctus. Verum de juribus viduarum, quoad reſtituendas dotes, earumque interuſuria, opportunius infra *cap. 14 ſol. matr. quem. dos pet.*

21 Quemadmodum nec filiis mortua matre decurrunt uſuræ maternarum dotium ſine interpellatione, vel ante litis conteſtationem: procul enim dubio penes maritum dos eſt titulo oneroſo; penes filios autem, eorumque matrem eſt titulo lucrativo, ex ponderatis per Præſ. de Franchis *dec. 558 n. 11.*

22 Interuſurium quoque dotis, tam profectitiæ, quam adventitiæ, quod *ante nuptias* mulier nuptura poſtulabit, præſtari debet ex regulari mora debitoris, ſecundum communes aliorum contractuum regulas poſt interpellationem, litiſve conteſtationem. Non enim potitur privilegio uſurarum vere dotalium, quum oneribus matrimonii ſuſtinendis minime inſerviat; ideoque niſi ea probaverit ſe inopem eſſe, & lucrum certum ex mora debitoris regulari amiſiſſe, vel detrimentum aliquod tulisſe in bonis ſuis, ejuſmodi uſuras non obtinet antenuptiales, Card. de Luca *diſc. 161 de dot. num. 72.*

23 Sed

23 Sed *paragii* interuſurium, quod in locum legitimæ ſuccedat, a die mortis parentum debetur fœminæ, de Franchis *dec.* 16 *n.* 13. Quoniam Juſtinianus moræ etiam gravamen in legitima omnino ſuſtulit, *l. quoniam* 32 *C. de inoff. teſtam.* Eamque ob rem S. Conſ. *ibid.* cenſuit fructus perceptos in legitimam non computari.

24 Conſuetudinario tamen jure Neap. alimenta, quæ fratres parentibus ſuccedentes præſtant ſorori uſque ad nubilem ætatem, ſubrogantur in locum fructuum paragii, quod ſuper bonis paternis ac maternis ſolvitur filiæ tempore nubilis ætatis; intereaque non fructus paragii, ſed alimenta ſolum peti poſsunt, & fructus cum alimentis compenſantur, quorum taxatio poſt ætatem nubilem fit ad rationem quinque pro centum, de Franchis *dec.* 559 *per tot.* Pariterque interuſurium paragii, quod primogenitus debet ſorori ſuper feudo, liquidari ad eandem rationem 5 pro 100, jam ſupradictum eſt *n.* 14.

25 Cæterum, communi jure inſpecto, minori etiam fœminæ ſine ulla interpellatione fructus & uſuræ promiſsæ dotis adquiruntur *l. in minorum C. in quibus cauſſis in integrum reſtitutio neceſſaria non eſt*. Ubi favore minorum re ipſa & ex ſolo tempore tardatæ ſolutionis ſine aliqua interpellatione mora irregularis recepto jure contrahi dicitur in omnibus bonæ fidei contractibus, & fideicommiſſis, & legatis.

Quando uſurarum dotalium debitio ceſſet, nunc ediſserendum ſupereſt.

26 Quoadusque pendeat dilatio temporis ad ſolvendam dotem legitime conventa, uſuræ dotales procul dubio non decurrunt: nam pacta dotalia ſpeciatim *pro tempore*, vel *pro uſuris* inita obſervari mandavit Juſtin. in *l. un.* §. 16 *C. de rei uxor. act.* Et dummodo ſterilis omnino dos non fiat viro, pactum redigendi in ſortem fructus dotales ad tempus aliquod probatur ab

Ulpia-

Ulpiano ſupra laudato *num.* 10. Pariterque a Tryphonino illud aliud, ne dos conſtante matrimonio petatur, *l. Bæbius* 30 *D. eodem*.

27 Si quando etiam non ſteterit per dotis debitorem quominus fiat ſolutio, culpa creditoris dotem accipere negligentis eum ſolvendo paratum liberabit ab onere uſurarum. Quamobrem oblatam reapſe & ſine ſimulatione, vel rite depoſitam pecuniam cum anteactis uſuris maritus ſi recuſaverit accipere, non modo curſum legitimarum uſurarum omnino ſiſtit, ſed periculum etiam depoſiti, ac moram in ſeſe transfert, atque jus pignorum extinguit, Phil. Imp. in *l. acceptam* 19 *C. de uſuris*. Si poſt oblatam, depoſitamve pecuniam „ nemo fuit, cui pecunia ſolveretur, ejus temporis „ inculpatam eſſe moram conſtitit Papiniano in *l. pecuniæ* 9 *in fin. D. eodem*. Nemo autem in praxi adeſſe videtur, qui dotem jure poſſit accipere, ubi maritus bona ſufficientia non habeat pro hypotheca dotali, nec paratam emtionem fructiferam pecunia dotali faciendam. Ideo ſciendum eſt non omne, qnod differendi cauſſa optima ratione fiat, moræ adnumerandum. „ Quid enim ſi expediendi debiti, vel fidejuſſoribus „ rogandis dies prætereant, vel exceptio aliqua alle- „ getur? mora facta non videtur Ulpiano in *l. ſciendum* 21 *D. de uſur*. Quid poteſt imputari ei, qui ſolvere, etiamſi vellet, non potuit? Nec urgebit favor compenſandi uſurarum lucro neceſſarias conjugii impenſas: „ uſuræ enim non propter lucrum petentium, „ ſed propter moram ſolventium infliguntur, Paull. in *l. cum quidam* 17 §. 1 *D. eodem*. Moram igitur ex culpa creditoris minime imputari debere debitori, merito decrevit S. Conſ. penes de Franch. *cit. dec.* 16 *n.* 2.

28 Ex diuturno quoque ſilentio fere vir amittit uſuras. Pius enim Imp. ita reſcripſit. „ Parum juſte præ- „ teritas uſuras petis, quas omiſiſſe te longi temporis „ intervallum indicat, qui eas a debitore tuo, ut gra-

„ tior

„ tior apud eum videlicet eſses, petendas non puta-„ ſti *l. cum quidam* 17 §. 1 *D. de uſuris*. Qui ergo ſpe futuræ gratiæ uſuras diu non petiit, eas remiſiſse præſumitur. Eoque magis cum vir uſuras promiſsæ dotis in ſtipulatum deductas non petiſſet, licet per omne tempus matrimonii ſumtibus ſuis uxorem & ejus familiam aluiſset, dote prælegata uſuras non contineri, ſed titulo donationis remiſsas videri, reſpondit Papinianus in *l. vir uſuras* 54 *D. de donat. int. vir. & uxor.*

29 Quid vero dicendum, ſi præſumtæ uſurarum præteritarum remiſſioni adverſantur aliquando facti circunſtantiæ, & contrariæ voluntatis conjecturæ? Præſumtio juris cedere debebit veritati factorum, quæ prudens Judex perpendere debet. Si enim ſpes gratiæ debitoris, vel ratio ſanguinis, vel facultas libera petendi defecerit, in dubio uſurarum præteritarum donatio tanquam odioſa non præſumitur ex longævo tantum ſilentio, nec facta ſolutio ex ſupradictis in *prac. cap.* 6 *n.* 23. Quare quæſitum cum eſset, an liberti legata cibaria & veſtiaria, de quibus ſolvendis heredem annos quatuordecim non interpellavere, poſsent petere? Scævola reſpondit, nihil propoſitum cur non poſsent petere tam præteriti temporis, quam futuri totum id, quod cibariorum nomine & veſtiarii relictum eſt *l. libertis* 18 §. 1 *D. de aliment. vel cibar. leg.* Plures ejuſmodi circunſtantias diverſorum caſuum, in quibus excluditur uſurarum dotalium non petitarum præſcriptio, vel tacita remiſſio, vel præſumta ſolutio, recenſet Card. de Luca *d. diſc.* 161 *de dote n.* 51, & 52.

CAP.

C A P. VIII.

DE EVICTIONE DOTIS.

1 *Promiſſa dotis evictio proculdubio debetur.*
2 *Sine pacto autem æſtimatæ dotis evictio fere præſtanda eſt actione ex emto.*
3 *Quinque caſibus exceptis, in quibus venditor emtori evictionem non præſtat.*
4 *Et ſolvens dotem ſine cautione & hypotheca conventa ſecundam dotem mulieri dabit.*
5 *Si autem inæſtimata dos fuerit, neceſſarius dotator quidem de evictione non promiſſa in dubio tenetur.*
6 *Secus quam voluntarius, qui bona fide certas res doti dederit.*
7 *Hic enim actione de dolo duntaxat obſtringitur.*
8 *Primæva dotis jura poſt evictionem reviviſcunt.*
9 *Uſuræque omnes tam pendente judicio evictionis, quam poſt illud viro debentur.*

Evicta re, quæ fuerat in dotem data, ſi pollicitatio vel promiſſio fuerit interpoſita, gener contra ſocerum, vel mulierem, ſeu heredes eorum, condictione, vel ex ex ſtipulatione agere poteſt, juxta reſcriptum Severi & Antonini in *l.* 1 *C. de jure dotium.* Sin autem nulla pollicitatio vel promiſſio interceſſerit, diſtinguere oportet dotem æſtimatam ab inæſtimata.

2 Poſt evictionem rei dotalis, quæ fuerit *æſtimata*, ex emto competere actionem contra dotantes, eorumque heredes, compertum eſt ex cit. *l.* 1. Quotiens „ ergo res æſtimata in dotem datur, evicta ea „ virum ex emto contra uxorem agere, & quic-

„ quid

„ quid eo nomine fuerit conſecutus, dotis actione ſo-
„ luto matrimonio ei præſtare oportet *l. quotiens* 16 *D. de iur. dot.* Cumque aurum maternum pater in dotem filiæ dediſſet inſcia, invitave matre, illudque heres matris vindicaſſet, quia res evicta eſt, marito competere adverſus ſocerum actionem, reſpondit Ulp. in *l. mater* 44 *D. eodem*.

3 Quamobrem æſtimatæ dotis evictio ſubjacet regulis generalibus aliorum contractuum, præſertim emtionis venditionis, quæ traduntur in rubrica Pandect. & Cod. *de evictiom.* Quippe „ non dubitatur & ſi ſpe-
„ cialiter venditor evictionem non promiſerit, re evi-
„ cta ex emto competere actionem, *l. non dubitatur* 6 *C. de evictionibus*. Tribus tamen caſibus emtori a venditore evictionem non præſtari cenſuit Imp. Alexander in *l. emtor fundi* 8 *C. eodem*. Primo nimirum, ſi emtor evictionem non denunciavit auctori, ejuſve heredi. II. Si emtor ipſe judicio non adfuit. III. Si præſens in judicio per injuriam judicis victus eſt, abſente auctore, vel fidejuſſore. Additur quartus ex *l. ſi fundum* 27 *C. eodem*: „ ſi fundum ſciens alienum, vel
„ comparatum obligavit Athenocles, nec quic-
„ quam de evictione convenit: ſecus ſi ignoravit. Quintus præterea ex *l.* 1 *C. eodem*: ſi quis univerſam hereditatem emerit, ex qua res aliqua fuerit evicta; quoniam ſumtu ac periculo ſuo res hereditarias emtor perſequi debet, & evictio in ſingulis rebus ejuſdem non præſtatur, niſi aliud nominatim inter contrahentes convenerit.

4 Quin ſi dotans tam neceſſarius, quam voluntarius inveſtimentum, & cautionem, vel idoneam hypothecam pecuniæ dotalis in capitulis matrimonialibus convenerit, poſteaque ſine cautela ejuſmodi viro facultates non habenti perſolverit, poteſt a muliere compelli poſt prioris dotis jacturam ad alteram præſtandam, ſecus vero, ubi non fuerit cautio promiſſa, Rota apud Merlin. *dec.* 77, & 93.

5 In dote autem inæſtimata diſtinguere oportet neceſſariam a voluntaria dotatione. Si enim ex neceſſitate parens, aliuſve ad dotandum obligatus dotem dederit, eam *demonſtrative* dediſſe præſumitur, quatenus promiſſa re deficiente, vel poſt traditionem evicta permaneat adhuc indefinita dotantis obligatio aliam ſubrogandi ac tradendi, evictionemque præſtandi. „ Qui res ſuas igitur obligavit, poſtea aliquam poſ- „ ſeſſionem ex his pro filia ſua dotem promittendo „ obligavit & ſolvit: ſi ea res a creditore evicta eſt, „ dicendum eſt maritum ex dotis promiſſione agere „ poſſe, ac ſi ſtatu liberum (ſeu ſervum, quem teſtator ſub conditione liberum eſſe juſſit) „ remve ſub „ conditione legatam, dotis nomine pro filia pater „ ſolviſſet: harum enim rerum ſolutio non poteſt, „ niſi ex eventu liberare: ſcilicet quo caſu certum „ erit remanere eas, Paul. in *l. qui res ſuas* 98 *D. de ſolutionibus*. Si profecto rem meam, quæ pignoris nomine alii eſſet obligata, debitam tibi ſolvero, non liberabor: quia avocari tibi res poſſit ab eo, qui pignori accepiſſet *l. ſi rem meam* 20 *D. eodem*.

6 Extraneus tamen & voluntarius dotator, ſi certam rem doti promiſerit vel dederit *bona fide*, eam *taxative* adſignaſſe præſumitur eatenus, ut compelli ad evictionem præſtandam nequeat, & nulla marito competat actio poſtulandi aliam rem æquivalentem, dicta *l.* 1 *§. ſin vero C. de jur. dot.* Dolo autem dantis interpoſito, de dolo actio adverſus eum locum habebit ob rem evictam. Vel ſi mulier ipſa per dolum rem alienam, vel pignori obligatam dederit viro ſuo pro dote, *in factum* actio adverſus eam marito datur, quum inter conjuges famoſa actio de dolo (quam Papinianus modo laudatus admittebat) legibus poſterioribus amota ſit *d. l.* 1 *in fin.* Et Juſtinianus in *l. un.* §. 1 *C. de rei uxor. act.* tacitam quoque hypothecam, actionemque marito conceſſit contra partem mulieris pro rebus dotalibus evictis.

7 Poſt

7 Poſt dotis evictionem primæva jura dotalia adeo reviviſcunt, ut maritus, non aliter quam ſi promiſſam dotem nunquam exegiſſet, agere poſſit contra promiſſores, ejuſve heredes, & fidejuſſores, iiſque privilegiis omnibus antiquioris hypothecæ, & ſtipulationis uti, quæ dotali ex inſtrumento ad primam dotis ſolutionem competerent, juxta communem DD. ſententiam Paulli reſponſo innixam in *d.l.ſi quis res ſuas* 98 *D. de ſolutionibus*, ibi: „ Si ea res a creditore evicta „ eſt, maritum ex dotis promiſſione agere poſſe. Itaque non actio *nova* evictionis, ſed *antiqua* promiſſionis marito competit pro evicta dote. Et licet res in ſolutum data liberationem debitoris cujuslibet præſtat regulariter, hoc eſt extinguit priorem obligationem, aliamque novam inducit, quum pro ſolido facta eſt ſolutio, juxta Marciani regulam in *l. ſi quis aliam* 43 *§. 1 D. eodem*: nihilominus manet aliquando priſtina obligatio, præſertim ſi pro ſolido facta non ſit ſolutio, & datio in ſolutum, & non acceperit re integra creditor deminutam ſolutionem ex *d. l. ſi quis aliam*: vel ſi rem accipiens in ſolutum antiqua jura ſibi reſervaverit ſine animo novandi obligationem, de Franch. *dec.* 50 *n.* 7.

8 Evictis agris, rebuſque dotalibus, quotieſcunque promiſſor æquivalentes, pretiumve dare debet, uſuræ quoque poſt evictionem continuo præſtabuntur, die interpellante pro homine: non aliter quam eas poſt evictionem præſtari debere a venditore, qui pretium ſeſe reſtituturum convenerat, reſpondit Paullus in *l. evictis agris* 18 *D. de uſuris*. At „ quamvis emtor poſt „ dominii litem inchoatam fructus adverſario reſtituit, „ tamẽ incommodum medii temporis emtoris damnum „ eſt, ut inibi Jureconſultus idem limitat: fructus tamen dotis evictæ intermedii quoque temporis, quos ſcilicet a die litis conteſtatæ ad evictionem uſque maritus evincenti adverſario reſtituit, ipſi marito pa-

promiſſores dotis refici debere, ſuadent primæva dotis jura reviviſcentia, quæ poſt ſolutionem ex hactenus expoſitis penitus non extinguuntur.

CAP. IX.

DE RERUM DOTALIUM ADMINISTRATIONE AC DOMINIO.

1 *Dominium transfert dotalis contractus.*
2 *Rerumque æſtimatarum vir tanquam emtor dominium pleno jure conſequitur.*
3 *Sed ineſtimatarum periculum & commodum uxoris eſt.*
4 *Quia iſtarum naturale & cauſſativum dominium mulier, effectivum vero ſubtilitate juris maritus obtinet.*
5 *Et hoc effectivum dominium marito auferri conſtante matrimonio nequit.*
6 *Qui proinde res dotales, & acceſſiones libere adminiſtrat, fructuſque facit ſuos.*
7 *Omneſque dotales actiones exercet.*
8 *Itemque pro bonis extradotalibus agit tanquam legitimus uxoris adminiſtrator ſine jure fruendi.*
9 *Viro tamen ad inopiam vergente uxor ad ſecuritatem ſuam vel prædia dotalia, vel bona mariti æquivalentia ſibimetipſi adminiſtranda ſumit, ſed dominium non avocat.*
10 *Et ſocietas bonorum inter conjuges quandoque diſſolvitur.*
11 *Nec uxori bona mariti pro tuendis dotibus ſuis accipienti creditores moleſtiam inferre valent, neque jus offerendi objicere.* 12

12 *Honorifica tamen jura doti adnexa, & reliqui effectus dominii in perſona viri permanent.*

13 *Perſonale eſt mulieri jus petendi ſecuritatem dotium.*

14 *Extra inopiæ periculum fidejuſſores, & ſecuritates dotium jure antiquo prohibebantur conſtante, non autem ſoluto matrimonio.*

15 *At hodie pro conſtituenda ſimul & reſtituenda dote fidejuſſiones, ſecuritates, & cautiones dotium recte adhibentur.*

16 *Binuba etiam mater cum vitrico debet filiis prioris matrimonii certum jus habentibus cavere de ſervandis dotibus.*

1 QUoniam dotis cauſſa perpetua eſt, & ita datur; ut ſemper apud maritum ſit, quoadusque matrimonium conſtiterit, ex tradit s a Paullo in *l.* 1 *D. de jure dotium*; conſequens eſt per contractum dotalem transferri dotis dominium: nam temporariæ cauſſæ contractuum, puta depoſiti, precarii, locationis, dominium non mutant, ſed perpetuæ tantum, uti ex Cujacio notat Gothofr. *ibid.* Cumque maximi momenti ſint effectus dominii, par eſt inquirere utrum maritus, an uxor dominium dotis obtineat. Quo autem planius id percipiatur, diſtinguendæ ſunt a rebus æſtimatis res inæſtimatæ.

2 „ Quotiens res æſtimatæ in dotem dantur, ma„ ritus dominium conſequutus, ſummæ velut pretii „ debitor efficitur, ſic reſcripſit Alexander Imp. in *l. quotiens* 5 *C. de jur. dotium*: quia *æſtimatio venditio eſt*, juxta definitionem Ulp. in *l. plerunque* §. *inde quæri poteſt D. eodem*. Hinc viri periculo æſtimatæ res fiunt deteriores, & lucro ejuſdem recipiuntur, *arg. l. quum dotem* 10 *C. eod.* Quod prælibatum ſupra eſt *cap.* 1 *num.* 12, *& ſeq.* Itidem ex pecunia dotali fun-

dus a marito comparatus uxori non quæritur; quum neque maritus uxori actionem emti poſſit adquirere, ſed dotis tantum actio competit, *l. ex pecunia* 12 *C. eod.* Ob quam dotis actionem, vel vergente ad inopiam viro, vel ſoluto alias matrimonio exercendam, res, quæ dotali ex pecunia comparatæ ſunt, dotales eſſe videntur Gajo Jurec. in *l. res quæ* 54 *D. eod.*

3 „ Quotiens autem *non æſtimatæ* res in dotem „ dantur, & meliores, & deteriores mulieri fiunt, inquit Ulp. in *d. l. plerunque* 10 *D. de jure dot.*

4 Sed uter conjugum res dotales *inæſtimatas* in dominio habeat, non modica lis eſt inter Doctores, quæ diſtinctionis auxilio facile componitur. Nanque uxorem eſſe dominam dotis ſuæ *naturaliter* & *cauſative*; maritum vero *ſubtilitate juris & quoad effectum*; facile intelligimus ex Juſtiniano in *l. in his rebus dotalibus* 30 *C. eodem*, ibi: „ In rebus dotalibus ſive „ mobilibus, ſive immobilibus, ſeu ſemoventibus, „ mulierem in his vendicandis omnem habere poſt diſ- „ ſolutum matrimonium prærogativam ſancimus, „ quum eædem res (inquit) ab initio uxoris fuerint, & „ *naturaliter* in ejus permanſerint dominio. Non „ enim quod *legum ſubtilitate* tranſitus earum in ma- „ trimonium mariti videatur fieri, ideo rei veritas de- „ leta, vel confuſa eſt. Volumus itaque eam in rem „ actionem in hujuſmodi rebus quaſi propriis habere, „ & hypothecariam omnibus anteriorem poſſidere: ut „ ſive *ex naturali jure* ejuſdem *mulieris* res eſſe in- „ telliguntur, ſive ſecundum *legum ſubtilitatem* ad „ *mariti* ſubſtantiam perveniſſe videntur, per utranque „ viam ſive in re, ſive hypothecariam ei pleniſſime „ conſulatur.

5 Fiunt itaque res mariti, ſi conſtante matrimonio in dotem dentur, *l. dotis fructum* 7 *D. eodem*: & mulier dotis viro quæſitæ dominium auferre minime poteſt, *l. ſi prædium* 23 *C. eod.* Profecto Ulpianus domi-

nium

nium dotalis prædii, quod intelligitur æſtimatum; marito quæſitum agnoſcit in *l. dotale* 13 *D. de fundo dotali*.

6 Ob dominium iſtud *effectivum* lex viro tribuit plenam rerum dotalium adminiſtrationem conſtante matrimonio, quatenus ipſe nedum pro oneribus conjugii ferendis omnes dotis fructus pleno jure lucretur & accipiat *l. pro oneribus* 20 *C. de J. D.* de quibus ſat ſupra dictum eſt *cap.*7; verum etiam acceſſiones omnes & dotis augmenta ad eum pertinentia *l. dotis fructum* 7 §. 3 *D. eodem*: præſertim vero fructus dotis ante nuptias decurſos, qui in ſortem dotalem rediguntur, ceu portio dotis. Quandoquidem, docente Paullo, „ante „ matrimonium quoque fructus percepti dotis fiunt, „ & cum ea reſtituuntur, *l. videamus* 38 §. 12, *&* 13 *D. de uſuris*. Et „ mulier ſi pecuniam ſibi debitam a „ Sejo cum uſuris futuri temporis in dote promittenda demonſtravit, eas quoque dotis portionem eſſe, „ quarum dies poſt nuptias ceſſit, reſpondit Papinianus in *l. cum poſt divortium* 69 §. 1 *D. de* J. *D.* Eas ſcilicet, quæ a die promiſſionis dotalis uſque ad diem nuptiarum decurrerint.

7 Præterea efficit dominium, ut vir, non uxor conſtante matrimonio omnes exerceat actiones pro rebus dotalibus perſequendis *l. de his* 11 *C. de* J. *D.* & præſertim reivindicationis, quæ domino competit contra quemlibet poſſeſſorem, *l. doce ancillam* 9 *C. de reivindic.* ibi: „ Doce ancillam, de qua ſupplicas, dotalem „ fuiſſe in notione Præſidis: quo patefacto, dubium „ non erit vindicari ab uxore tua nequiviſse. Vir itaq; durante matrimonio, uxor autem eo diſſoluto dotem reivindicat jure dominii.

8 Quin quoad *receptitias* quoque res, ſeu extra dotales maritus fere eſt legitimus adminiſtrator uxoris nomine, ſine ullo tamen jure utendi fruendi: ubi enim agitur de rebus uxoris, quæ omnino extra dotem ſunt;

earum

earum etiam nomine maritum ſine uxoris mandato quoque agere poſse, definit *l. maritus* 21 *C. de procurator.* (1)

9 Quotiens autem dotales res maritus male gubernet ſive negligentia & culpa, ſive ignorantia, aut ad inopiam vergat ſuas deminuendo facultates, adeo ut dotis reſtitutioni non ſufficiant; Juſtinianus conceſſit mulieribus electionem conſtante quoque matrimonio eas accipiendi, & gubernandi: & ſi quidem perfectæ ætatis mulier eſt, ſibimetipſi culpam tribuat, cur mox viro inchoante verſionem ad inopiam non accepit dotem, & ſibi auxiliata non eſt, N*ovell.* 97 *cap. ult. & l. ubi adhuc* 29 *C. de jure dotium*. Ubi Imperator idem reſcripſit, ſi conſtante adhuc matrimonio maritus ad inopiam ſit deductus, & mulier ſibi proſpicere velit, reſque ſibi hypothecæ ſuppoſitas pro dote, & ante nuptias donatione, aliiſque extradotalibus tenere; habebit exceptionem expellendi ab hypotheca ſecundum, poſterioremque creditorem: quin & eaſdem res vindicare poteſt a creditoribus poſterioribus, aliiſve poſseſsoribus: non aliter quam excipere, & contra detentores agere poſset poſt matrimonium diſsolutum. Verum mulier ipſa nullam habebit licentiam eaſdem res alienandi vivente viro, nec ſibi dominium effectivum a marito avocat, ſed fructibus illarum ſolummodo ad ſuſtentationem tam ſuam, quam mariti, & communium filiorum utatur, de Franch. *dec.* 54 *n.* 2.

10 Hinc

[1] At vero ex conſ. Barenſ. incip. *mulier* conſtante matrimonio ſub tit. de jure dotium, uxor fructus dotis ex æquo per medietatem partiebatur cum marito ſuo, ſi in inſtrumento dotali verbum illud inveniretur adpoſitum. *regat ſe cum marito*. Si vero ſic cautum fuiſſet, ut mulier *regat ſe*, fructus dotis ſola lucrabatur, nec maritus aliquid propter onera matrimonii retinebat. Eam tamen conſuetudinem diu receſſiſſe ab aula, in illaque Provincia jus commune quoque ſervari quoad fructus dotales ad virum omnimodo pertinentes, teſtatur ibidem V. Maxilla.

10 Hinc diſsolvitur non ſemel cauſsa cognita ſocietas bonorum inter conjuges, permanente licet conjugalis tori ſocietate, ſicque ſecuritatem dotis recte poſtulat, & nanciſcitur ob inchoatam, vel proximam viri inopiam, ex §. *illud quoque cit. Nov.* 97: quamvis regulariter ad cautionem uxori præſtandam maritus cogi nequeat: quia in omnibus bonæ fidei judiciis, quale eſt hoc de dote, poteſt rationabili ex cauſsa ad interponendam cautionem agi, Papin. in *l. in omnibus* 41 *D. de judic.*

11 Quum tamen uxor pignus dotale ad ſuam ſecuritatem ex bonis mariti acceperit, denegatur ſecundis creditoribus jus offerendi ex recepta in tribunalibus noſtratibus ſententia, quam refert de Afflict. *dec.* 199, de Franch. *dec.* 54, & Reg. de Roſa in *prax. civ. decret. cap.* 1 *n.* 162. Quare S. Conſilium minime curat pretium ſubhaſtationis, quod animoſe ultra juſtitiæ fines a licitatoribus plerunque porrigitur, ſed juſtæ peritorum æſtimationis, ut pro concurrenti pecuniæ dotalis quantitate mulieri adſignet prædia viri a moleſtiis creditorum immunia, de Franch. *loc. cit. n.* 16. In quo privilegium dotis conſideratur: nam jure communi poſterior creditor offerens anteriori creditum cum uſuris integrum fere obtinet in conſolationem amiſsæ pecuniæ rem pignoratam; licet prævia licitatione & ſubhaſtatione traditam creditori anteriori, *l. qui pignus* 1, *& l. prior* 5 *C. qui pot. in pign.* An autem mulier impedire valeat bonorum mariti exequutionem, & amovere ſequeſtrum ipſa inaudita ordinatum ad inſtantiam creditorum, lis eſt inter Doctores, prudentis judicis arbitrio definienda. Qui deteriorem mulieris conditionem facere quum non poſſit, ex *l. de die* 14 *D. de pact. dotal. cum concord.*, bona viri uſque ad ſummam doti æquivalentem vendere non debet, ut pretium deinde erogetur in emtionem annuorum introituum, ex quibus mulier & ſibi, & marito, filiiſque alimenta ſumat: ſed bona viri ſtabilia penes ipſam ſequeſtro ponere, ut ma-

Digitized by Google

gis in tuto ſit pecunia dotalis,nullamque moleſtiam ſuper iiſdem inferre, de Franch. *d.dec.* 54 *n.*3. Super aliis tamen bonis, quæ dotis quantitatem excedant, locum non dabit judex mulieribus fraudandi creditores virorum prætextu ſecuritatis dotium.

12 Et ubi jura honorifica ſint bonis ejuſmodi pro cautione dotium adſignatis adnexa, ea reſervantur viro, quoniam æſtimationem, ac lucrum non accipiunt, & juxta receptiorem opinionem facta uxori traditio dotis ad ſecuritatem non eſt eadem ac reſtitutio, de Franch. *cit. dec.* 54. Eamque cum Napodano idem Autor *dec.* 617 *n.* 10 appellat *ſequeſtrationem* dotis penes mulierem. Profecto dominium oſſibus viri adnexum, quoadusque vivat, remanet una cum effectibus exinde manantibus. Eademque ratione fructus matrimonii onera exſuperantes viro, ejuſque creditoribus, non autem mulieri debentur, Afflict. *dec.* 9, & de Franch. *d.dec.* 617 *n.* 7.

13 Facultas petendi securitatem, privilegium mulieris eſt perſonale, ideoque non competit illius heredibus, qui ſoluto matrimonio per uxoris mortem, vivente adhuc viro, dotem ſibi reſtitui poſſunt utique poſtulare: donec vero dies reſtitutionis non venerit, petere non poſſunt cautionem.

14 Ceſſante vero inopiæ periculo, legibus Principum conſtitutum eſt, ut in Codicis rubrica, *ne fidejuſſores, vel mandatores dotium dentur*. Olim quamvis receptum ſive ex jure, ſive ex conſuetudine fuiſſet, ut vir uxori fidejuſſorem ſervandæ dotis cauſſa exhiberet; id tamen Valent. & Theod. aboleverunt in *l.*1 *C.ne fidejuſ. vel mandat. dot. dentur*, quam conſtitutionem amplians Juſtin. in *ſeq. l.* 2 *& fin.* præcepit nullam eſſe ſatiſdationem, vel mandatum pro dote exigendum vel a marito, vel a patre ejus, vel ab omnibus, qui dotem ſuſcipiunt: ſi enim (ait) credendam mulier ſe, ſuamque dotem patri mariti exiſtimavit, quare fidejuſſor, vel alius inter-

interceſſor exigitur, ut cauſſa perfidiæ in connubio eorum generetur? Verum ſoluto matrimonio, quoniam ceſſat cauſſa improbandæ fidejuſſionis, heres mulieris a marito recte illam exigit, & accipit: & ſic mariti fidejuſſor poſt ſolutum matrimonium datus in ſolidum dotis nomine condemnatur *l. exceptiones 7 D. de except.* Tametſi vir ultra quam facere poteſt, de dote non tenetur.

15 In praxi tamen admittuntur fidejuſſores tam pro conſtituenda dote, quam pro reſtituenda, ut teſtatur Card. de Luca *diſc.* 162. Quandoquidem in utroque foro uſu recepta eſt decretalis Innoc. III in *cap. per veſtras 7 de donat. int. vir. & ux.* dotem adſignari debere viro ad inopiam vergenti ſub ea, quam poſset, cautione præſtare: vel ſaltem alicui mercatori committendam, ut de parte honeſti lucri vir onera poſſet matrimonii ſuſtentare: ne occaſione dotis detentæ uxor a viro dimiſsa, ſeu vir, qui dimiſit uxorem, adulterii reatum incurreret. Igitur „ quum dotis cauſsa aliquid expro„ mittitur, fidejuſsor earum nomine datus tenetur; ait Paullus in *l. quum dotis* 55 *D. de J. D.* Sed legem hanc Interpretes divertimode exponunt, quorum alii cenſent eandem loqui de expromiſsore mulieris, alii autem de expromiſsore mariti. Verba ejuſdem nihilominus quum ſint ampla & generalia, utrunque valent comprehendere juxta renovatam veterum regulam de fidejuſſoribus & mandatoribus dotium.

16 Mater etiam ad ſecundas tranſiens nuptias una cum vitrico ad præſtandam ſecuritatem dotium pro filiis prioris conjugii tunc poterit compelli, quum ipſa omnino debeat eisdem filiis dotes conſervare & relinquere etiam invita: puta obventas ex prioris mariti bonis per *l. feminæ 3 C. de ſec. nuptiis*. Ceterum mulieri vel viduæ, vel binubæ onus cautionis ejusmodi ſuperaddi non debere, nec illi tanquam dominæ poteſtatem diſponendi de dotibus ſuis ad libitum, præ-

tem

terquam in favorem ſecundi viri, novorumque filiorum, adimi non poſſe opinatur Card. de Luca *diſc. 162 de dote num. 6*.

CAP. X.

DE ALIENATIONE DOTIS.

1 *Ut ſalvæ mulieribus dotes ſint, legibus alienari prohibentur.*
2 *Non modo fundum Italicum, ſed quodvis dotale prædium, dotiſque hypothecam diſtrahere cum uxoris etiam conſenſu non licet.*
3 *Dotale autem prædium intelligitur inæſtimatum.*
4 *Et obveniens ex hæreditate, vel legato dotis cauſſa repudiato.*
5 *Alienationis vocabulum accipitur latiſsime, & fundi communis diviſionem quoque continet.*
6 *Omnemque mutationem, ſervitutem, deminutionem.*
7 *Nec mulier juribus ſuis ſuper fundo inæſtimato renunciare valet, ſed vix ſuper æſtimato, vel ſuper bonis mariti.*
8 *Quoties tamen dos, vel donatio ante, aut propter nuptias cauta remaneat ſuper aliis bonis, prætereaque mulier iterato conſenſerit alienationi poſt biennium.*
9 *Ex Neap. conſ. ſi mulier alienanti viro conſenſerit, ſibi officit in quarta duntaxat: ſi vero ipſa alienaverit, dotalem quoque hypothecam extinguit.*
10 *Et ubi vel mariti, vel alius pro dotibus obligati*

bona

bona ſuppetant, actio ad avocanda bona cum conſenſu uxoris alienata non datur.

11 *Sed in ſubſidium duntaxat, aliis hypothecis omnino deficientibus.*

12 *Juramentum mulieris, quæ dotis ſuæ jura ceſſerit, eſſe ſervandum canones præcipiunt.*

13 *At in Regno irritæ habentur quævis mulierum renunciationes, quas lege prohibente cum jurejurando quoque firmare voluerint.*

14 *Neceſſaria tamen dotis alienatio permittitur.*

15 *Puta ob neceſsitatem, ut mulier vivat, ut ſana, ut libera, ut nupta vivat.*

16 *Ob pietatem, ut filios alat, eximatque a vinculis.*

17 *Ob utilitatem, quoties mulieri expediat ad lucrum captandum, vel damnum evitandum.*

18 *In diſtrictu Neap. filii prioris matrimonii re integra contradicere nec etiam poſſunt matri dotes ſuas alienanti ob juſtam & neceſſariam cauſſam: ſecus ubi juſmodi cauſſa defecerit.*

19 *Et nonniſi concurrente aliqua ex iiſdem cauſsis legitimis regius aſſenſus in Regno impertitur ſuper dotium alienatione, vel obligatione.*

20 *Viduis tamen, & virginibus idem aſſenſus pro alienandis dotibus liberius conceditur.*

21 *Atque ſi filii dotem viduæ parenti reſtituerint cum clauſula ad habendum & alienandum, jus conſuetudinarium Neap. ſuper novem ex decem unciis amittunt.*

22 *Æſtimata dos per virum lege permittente quidem alienatur, ſed eo ad inopiam deducto in ſubſidium mulier res ipſas alienatas, vel pecuniam dotalem avocabit.*

23

Nullimode enim conditio mulieris deterior effici potest per alienationem quoque dotis æſtimatæ.

1 Niſi dotium alienatio legibus fuiſſet vetita, ſalvas dotes fere non haberent mulieres contra Reipublicæ votum & utilitatem. Jure hinc merito „ lex „ Julia ab Auguſto lata de *dotali prædio* (puta inæſtimato) „ proſpexit, ne id marito liceat obligare, „ aut alienare, inquit Gajus in *l. lex Julia* 4 *D. de fundo dotali*.

2 Eſt utique alienatio omnis actus, per quem dominium transfertur ex definitione *l. ſi æſtimata* 1 *C. eod. tit.* At quoniam Italici ſolummodo fundi dotalis alienationem a marito fieri non conſentiente muliere, hypothecam vero renunciari nec etiam ſi mulier conſenſiſſet, lex Julia prohibuerat; Juſtinianus maluit fundum dotalem, ubicunque poſitum in omnibus terris, etiam provincialibus, conſentiente quoque muliere, nunquam poſſe a marito vel hypothecæ titulo dari, vel alienari, ne fragilitate naturæ mulicbris in repentinam deducatur inopiam, *l. rem in præſenti un. §. & cum lex C. de rei uxor. actione*.

3 „ Dotale prædium ſic accipimus, quum dominium marito quæſitum eſt, ut tunc demum alienatio prohibeatur, inquit Ulp. in *l. dot. præd.* 13 *D. de fundo dotali*. Dotale quippe prædium propria notione dicitur, quod ex cauſſa dotis inæſtimatæ in dominio, vel quaſi dominio eſt mariti. Sed Gajus in *l.* 4 *D. eod.* legem Juliam plenius interpretando, declaravit etiam de ſponſo idem juris eſſe, quod de marito, ne liceat obligare, aut alienare prædium dotale: & potiori quidem ratione, ſponſus enim ante nuptiarum celebrationem dominium dotis non adipiſcitur.

4 Si fundum legatum ſibi dotis cauſſa mulier repudiaverit, vel etiam ſubſtituto viro omiſerit hereditatem, vel legatum, erit fundus dotalis, Paullus in *l. ſi*

nuptu-

nuptura 14 *§. fin.D.de fundo dotali*. Si tamen pater repudiaverit hereditatem dotis conſtituendæ cauſſa, forte quod gener erat ſubſtitutus, aut qui potuit ab inteſtato hereditatem vindicare, dotem profectitiam non eſſe cum Juliano ſenſit Ulpianus. Quemadmodum quoque ſi legatum in hoc repudiaverit pater, ut apud generum heredem remaneat dotis conſtituendæ cauſſa: quia nihil erogavit de ſuo pater ex eo legato, quod non adquiſivit, *l. profectitia* 5 *§. ſi pater D. de jure dotium*. Nihilominus res ex ejuſmodi hereditate, aut legato obvenientes erunt proculdubio dotales.

5 Cumque latiſſime pateat verbum alienationis, quamlibet jurium dotalium deminutionem leges interdixere. Quapropter ſi fundus cum alio communis in dotem traditus ſit, conſocium nequit maritus ad diviſionem provocare, quia diviſio continet quandam alienationis ſpeciem ob ſocietatis accretionem; licet provocatus conficere diviſionem, lege Julia non obſtante, debeat, ne quis in communione permanere compellatur invitus, *l. ult. C. communi dividundo*.

6 Eoque magis novas imponere, vel impoſitas admittere ſervitutes nequit maritus in prædiis dotalibus, *l. Julianus* 5 *D. de fundo dotali*. Permutari etiam dos nequit conſtante matrimonio, niſi accedente conſenſu & utilitate mulieris: puta ſi ex pecunia in rem, aut ex re in pecuniam: idque probatum eſt a Modeſtino *in l. ita conſtante*. 26 *D. de jur. dot.*

7 Cumque Anaſtaſius Imp. mulieribus facultatem juri ſuo renunciandi permiſiſſet, *l. jubemus* 21. *C. ad Sen. Conſ Vell.*, id abolevit etiam Juſtin. *in cit. l. un. C. de rei uxoriæ actione*, ſic inquiens: *licet Anaſtaſiana lex de conſentientibus mulieribus, vel ſuo juri renunciantibus loquatur, tamen eam intelligi oportet in rebus mariti, vel dotibus quidem æſtimatis, in quibus dominium, & periculum*

lum mariti eſt. In fundo autem non æſtimato, qui & dotalis proprie nuncupatur, maneat jus intactum. Hactenus Juſtinianus. Profecto jus commune minime patitur conditionem dotium unquam fieri deteriorem *l. Ariſto*, & *l. de die D. de pact. dotal.*

8 Veruntamen Juſtinianus ipſe *Nov.* 61, unde ſumta eſt Auth. *ſive a me Cod. ad Sen. Conſ. Vell.* adprobat alienationem, & conſenſum a muliere præſtitum pro alienandis prædiis ante nuptias, aut propter nuptias donatis immobilibus, aut ex ſponſalitia largitate obventis: dummodo poſt biennium ea renovaverit conſenſum præſtitum, ſintque aliæ res mariti, unde valeat mulieri iterato conſentienti ſatisfieri, quę idcirco ex ſecundo conſenſu hypothecam legalem ſuper omnibus mariti bonis minime amittit. Eoque magis idem juris in dotalibus prædiis locum habere ibidem expreſſit, arguens a minori ad majus. Cui *Nov.* conſonat conſtitutio Regni, incipiens *ſed ſi mulier tit. de contract. inter virum, et uxorem* illis verbis: *remanet tamen mulieri in aliis bonis viri jus ſuum ſalvum, non obſtante conſenſu.* Exinde in Regio aſſenſu præſtando iſtæc merito uſurpatur clauſula: *liceat, dummodo mulier cauta ſit ſuper aliis bonis viri.*

9 At vero conſuetudo Neapolitana, quæ incipit *ſi mulier tit. de conſenſu mulieris*, cavit mulierem viro alienanti conſentientem ſibi præjudicare quoad quartam tantum, non quoad dotem. Si autem ipſa vendiderit mariti bona una cum ipſa dote, hypothecæ etiam dotali præjudicare in totum, ex *ſeq. conſ. ſub eodem tit.* ibi: *ſed ſi mulier una cum marito reperiatur per inſtrumentum aliquid vendidiſſe, vel quocunque alio titulo alienationis rem ipſius mariti immobilem in alium tranſtuliſſe, quantum ad rem illam in totum mulier ipſa excluditur,*

tur, ut nec pro dote, nec pro quarta, nec pro jure hypothecarum poſſeſſionem ipſius rei impetere poſſet. Remanet tamen mulieri in aliis bonis viri jus ſuum ſalvum, non obſtante conſenſu.

10 Quin ſufficiet cautela dotium ſuper bonis correi in ſolidum obligati ad eas reſtituendas, ubi mariti bona non ſuppetant: quandoquidem in S. Conſ. penes Affl. *deciſ.* 312, & de Franch. *deciſ.* 84 concluſum fuit non poſſe mulierem actione hypothecaria pro dotibus ſuis experiri contra tertium poſſeſſorem ſuper ea re, cujus hypothecæ renunciaverât ſine juramento, & marito res hypothecatas alienanti conſenſerat, licet nihil ſuperfuiſſet in bonis viri pro exequenda dotium reſtitutione: propterea quod ſat ipſi conſultum erat in bonis correi divitis, qui una cum marito ſeſe in ſolidum obligaverat pro reſtituendis dotibus, ex *l. ſi plures* 27 *§. præterea ſi quæratur* 2 *D. de fidejuſſor.* Ubi Ulpianus in ea quæſtione, an ſolvendo ſit principalis fidejuſſor, etiam vires ſequentis fidejuſſoris ei adgregandas cenſuit.

11 Et e contrario bonis ſive viri, ſive fidejuſſorum dotalium deficientibus tempore nedum alienationis dotis cum uxoris conſenſu, ſed etiam reſtitutionis dotium; mulier ſubſidiariam habet actionem contra emtorem, & quemlibet poſſeſſorem bonorum ſic alienatorum: quemadmodum in eodem S. Conſ. deciſum quoque refert Afflict. *in ſeq. deciſ.* 313. Quod amplectendo favore dotis ſententiam Joannis de Imola, ceu æquiorem, reſpuit alteram adverſam Paulli de Caſtro opinantis mulierem hypothecæ dotali renunciantem eo tempore, quo vir alienans idoneas poſſidebat facultates, regreſſum non habere ad alienata bona contra tertium poſſeſſorem, tametſi poſt alienationem maritus ad inopiam deveniſset. Enimvero irritæ cenſentur quævis mulierum obligationes & renunciationes pro viris quomodolibet conceptæ, ex Pragm. 1 *ad Sen. Conſ. Vell.*

12 Prohibitio iſtæc viget in alienatione voluntaria, non autem neceſsaria ex Paulli ſententia *in l. interdum 1 D. de fundo dotali*. Hinc mulieres tribus ex cauſſis res dotales non ſolum obligare, ſed etiam alienare valent: nimirum *neceſſitatis*, *pietatis*, atque *utilitatis*. Quas complexus eſt Paullus *in l. mutus 73 D. de jur. dot.* illis verbis: *manente matrimonio non perditura uxori ob has cauſſas dos reddi poteſt, ut ſeſe, ſuoſque alat, ut fundum idoneum emat, ut in exilium, vel inſulam relegato parenti præſtet alimoniam, aut ut egentem virum, fratrem, ſororemve ſuſtineat.*

13 *Neceſſitas* quatuor in caſibus occurrere ſolet, ut notat Napod. *in conſuet. etſi mulier juſtam, de contractibus inter virum, & uxorem*, & de Franch. *deciſ.* 179. Primo ſcilicet, *ut mulier vivat*; ſecundo, *ut ſana vivat*; tertio, *ut libera vivat*; quarto, *ut nupta vivat. Ut vivat*, nimirum ut alimenta præbeat tam ſibi, quam viro, & familiæ, quum inhumanum foret bona conſervare, & vitam perdere, inquit Ciriacus *controv.* 206 *n.* 19, & Gratian. *diſcep.* 108. Dummodo maritus non habeat unde ſeipſum, uxorem, & filios ſuſtentet, cum ad illum principaliter onus ejuſmodi pertineat, *l. Pomponius* 35 *D. fam. erciſc. & l. ſi maritus* 36 *D. eod. tit.*. *Ut ſana vivat*, videlicet valetudinem impenſis medicaminum, aliiſque neceſſariis curet, non modo ſuam, verum etiam mariti, & filiorum. *Ut libera vivat*, nempe ut ſeipſam a carcere, vel captivitate redimat tam pro civili, quam pro criminali cauſsa: quin etiam ut vitet pœnam futuræ detruſionis in carcerem. Denique *ut nupta vivat*, nimirum ut virum ſuum a carceribus liberet, tam ſi inibi detruſus fuerit ob crimen, quam propter debitum, juxta ſententiam hoc in Regno receptam, quam refert Regens de Ponte *de poteſt. Proregis tit. de decretis ſuper alienat.*

ſeu

ſeu oblig.rer. dotalium: licet Senatus Sabaudiæ, penes Fabrum *tit. de Sen.Conſ.Vell. defin.* 16, deciderit permiſſam dotis alienationem pro excarcerando viro criminis reo tantum; ſed minime pro cauſſa civili; quippe qui poſſet pro civili debito bonis cedere, ſicque liberationem conſequi.

14 *Pietatis* cauſſa potiſſimum occurrit pro filiis alendis, itemque pro iiſdem excarcerandis juxta probabiliorem ſententiam æquitati innixam. Et licet S. C. penes de Franchis *deciſ.*478 definiverit, matrem juvari exceptione Vellejani pro irrittanda obligatione inita, ut filium eriperet e carceribus, pœnaque liberaret; duriſſima tamen viſa eſt hæc deciſio, præſertim Horatio Montano, & Regenti de Ponte *loco citato.* Quibuſcum conſonat Senatus Pariſienſis penes Papon. *lib.* 12 *tit.* 5 *de Vell.* Quandoquidem juxta illud Iſaiæ *cap.* 49, *nunquid oblivisci poteſt mulier infantem ſuum, ut non miſereatur filio uteri ſui.* Et Paullus Jureconſultus *in l.iſti quidem* 8 §. *ult. D. de eo quod metus cauſſa geſtum erit*, reſpondit: *nihil intereſſe in ſe quis vetitus ſit* (hoc eſt metum gravem conceperit) *an in liberis ſuis, quum pro affectu parentes magis in liberis terreantur. Quis enim patiatur* (ait Juſtinianus in *lib.* 4 *Inſtitut.tit.*8 *de noxalib.actionib.*§.*ult.*) *filium ſuum, & maxime filiam in noxam alii dare, ut pene per filii corpus pater magis, quam filius periclitetur.* Pietas itidem contingit in dotāda filia, ut nuptias ineat dignas *l.ſi dotare C. ad Sen. Conſ. Vell.* Quare Neap. *conſ.* 3 ſub *tit. de contract. inter vir. & uxorem* definit filiam poſse de bonis communibus tam patris, quam matris dotari eatenus, ut ſi quantitatem ſuam mater expreſserit, ipſo jure fiat deminutio dotis maternæ.

15 *Utilitas* tandem verificatur in emtione, quæ magis expediat fieri cum pretio rerum dotalium: vel in

 per-

permutatione prædiorum pro maiori compendio *l. ita conſtante 26, & l. mutus 73 D. de jur. dot. & l. ſi mulier 21 D. de pactis dotalib.* Igitur cum Modeſtino Jureconſulto *ita conſtante matrimonio permutari dotem poſſe dicimus, ſi hoc mulieri utile ſit, ſi ex pecunia in rem, aut ex re in pecuniam.* Quod probatum eſt *ex dict. l. ita conſtante ſupra n. 6.*

16 Idque non modo receptum, ſed declaratum quoque magis eſt ex Neap. *conſ. 1 ſub tit. de contractib. inter virum & uxorem celebratis, & de dotib. datis per eos.* Ubi cautum, quod bona ſtabilia in dotem data poſſit mulier cum conſenſu ſui viri alienare, & in alium transferre, per venditionem ſcilicet, & permutationem: niſi filii, vel filiæ prioris matrimonii contradicant re integra ante perfectam alienationem: alii vero filii non poſſunt contradicere. At ſi mulier juſtam & neceſſariam cauſſam habet vendendi, & alienandi, contradictionem minime valere.

17 Hinc paſſim in hoc Regno pro alienanda dote ob aliquam ex recenſitis cauſſis impetrari ſolet per mulieres *aſſenſus regius a Regali Camera S. Claræ*, qui diverſis formulis relaxatur juxta diverſas caſuum circumſtantias. Profecto ob urgentem neceſſitatem ſic decernitur: *liceat pro cauſſa prædicta*; & quandoque additur hæc clauſula: *dummodo pro medietate, vel tertia parte dotium tuta remaneat*, aliæve ſimiles, quemadmodum Dominis Conſiliariis opportunum videbitur perpenſis omnibus facti qualitatibus & conditionibus.

18 Pro contractibus vero viduarum, vel virginum authorandis aſſenſus regius impertiri ſolet his verbis: *liceat quia vidua, vel liceat quia in capillo.* Iſtis enim caſibus viduæ, & virgines non præſumuntur circumventionibus, metui reverentiali, & ſuaſionibus virorum ſubjacere, quemadmodum facile ſubjiciuntur uxoratæ mulieres, ideoque liberiorem habent

po-

poteſtatem dotes ſuas alienandi; eo vel maxime quia dotis favor ceſſare videtur, dum vel virgo ſtatum cœlibatus elegit, vel viduæ ſemoventur à ſecundis nuptiis, quas leges civiles oderunt.

19 Quin filii patre mortuo ſolent matri viduæ dotem reſtituere, atque in reſtitutionis inſtrumento adponere clauſulam, (quæ hodie eſt de ſtylo Notariorum) *ad habendum, et alienandum*. Ob quam clauſulam, niſi aliter expreſſe conventum fuerit; vel niſi alia ex urgentibus conjecturis præſumatur fuiſſe mens contrahentium, conceditur matri facultas alienandi; adeout non ſolum inter vivos integram dotem diſtrahere, ſed etiam in teſtamento de ea libere diſponere (ſalva legitima) poſſit, non obſtante tunc Neapolitana conſuetudine *ſi qua mo iens tit. de muliere habente filios*, per quam fere obligatur ex decem unciis novem integras filiis ſuis relinquere, ut deciſum in S.C. refert Scipio Buccinus *ad dict. conſ.* Verum facti potius quæſtio hæc eſt, quam juris, decidenda ex circumſtantiis rei, & præſumtionibus obſcuræ, vel perperam expreſſæ mentis contrahentium. Nam filii ſi conſuetudinis beneficio & ſucceſſioni pro novem unciis aperte non renunciaverint, jure ſuo privari non debent inviti; & ſine facto ſuo.

20 Bona dotis *æſtimata* regulariter a viro poſſunt alienari, dummodo alia bona ſuperſint, unde uxor indemnis remaneat; quæ aliàs fundum alienatum, quamvis æſtimatum, ſoluto matrimonio vindicabit ex beneficio *l. in rebus dotalibus* 30 *C. de jur. dot.* Atque ſi dos in pecunia numerata conſtiterit, ſolutam pecuniam mulier avocabit, ſi extet tam *realiter*, puta in banco, aut ſacculo, quam *ficte* per cautionem, aut ſi fundus ex ea emtus ſit, Reg. de Roſa *in prax. civ. cap. 1 num. 53, et 54.* Quare ſol-

ſolventes pecuniam dotalem hanc legem dicere ſolent pro ſecuritate dotium, ut ea in emtionem fructiferam impendatur a marito, utque in emtionis inſtrumento expreſsa fiat mentio pecuniam ejuſmodi ex dotibus uxoris obvenisse.

81 *Totiens igitur non poteſt alienari fundus, quotiens mulieri actio de dote competit, aut omnimodo competitura eſt*, ait Paullus Juriconſultus *in l. fundus 3 D. de fundo dotali.* Exinde Marcellus *in l. fundum 13 D. eod. tit.* reſpondit: *fundum dotalem maritus vendidit & tradidit*: ſi in matrimonio mulier deceſserit, & dos mariti lucro ceſſit, *fundus emtori avelli non poteſt*. Quo caſu limitatur illa Juris regula: *quod ab initio non valet, tractu temporis minime convaleſcit*. Igitur a contrario ſenſu avelli poteſt, ſi dos matrimonio per mortem viri ſoluto reddi mulieri debeat.

82 Quid vero dicemus, ſi mulier cum juramento beneficio Vellejani, hypothecæ dotis, vel actioni renuntiaverit? Jus pontificium jubet ſervandum mulieris juramentum, quæ alienationi conſenſit, *cap. cum contingat de jurejur.* Quinimo Bonif. VIII *in cap. licet 2 eod. tit. in 6*, ad iſtam rem ſic reſcripſit: *licet mulieres, quæ alienationibus dotium, & donationũ propter nuptias conſentiunt non contravenire, proprio juramento firmantes, ſervare juramentum hujuſmodi non vi, nec dolo præſtitum de jure canonico teneantur; quia tamen quidam judices ſeculares eas contra præfatas alienationes audiunt, quamvis eis conſtet legitime de hujuſmodi juramento: nos animarum periculis obviare volentes, eoſdem judices ad ſervandum hoc jus canonicum per locorum Ordinarios cenſura eccleſiaſtica decernimus compellendos.*

83 Hoc tamen in Regno, in laicorum præſertim Curiis obſervatur Pragm. un. ſub *tit. de Sen. Conſ. Vell.*, quæ

quæ irritas pronunciavit mulierum renunciationes, & quaſcunque alienationes jure ipſis prohibitas, tametſi jurejurando eaſdem firmaviſſent: propterea quod præſumuntur ad jurejurandum, & Vellejano renunciandum eadem facilitate perduci, qua trahuntur ad ſeipſas obligandas, vetitamve alienationem ſtipulandam; ideoque juramentum hujuſmodi tanquam contra bonos mores præſtitum non eſſe obligatorium. Tandemque ſancivit, ne tales mulierum alienationes, & renunciationes in contractibus ſolennibus ineundis Notarii publici admitterent, nec celebrarent.

CAP. XI.

DE FACULTATE TESTANDI, ET SUCCESSIONE DOTIUM.

1 *Jure communi mulier de dote adventitia teſtari poteſt, niſi pactum obſtet reverſivum.*

2 *Minime vero de profectitia ad patrem reverſura; quæ nihilominus liberis ſuperſtitibus defertur per generalem conſuetudinem Martini.*

3 *In Regno mos Magnatum plura diverſimode diſponit.*

4 *Videlicet, ad patrem ſuperſtitem regredi profectitiam dotem mulieris inteſtatæ; eoque mortuo ad proximiores agnatos.*

5 *Mulierem præterea ſine filiis poſſe patre defuncto ad libitum de integra dote teſtari, ſed nullatenus patre ſuperſtite.*

6 *Filiis autem extantibus debere vel trientem, vel ſemiſſem relinquere; & poſſe de reliquis octo, vel ſex unciis diſponere.*

7 *Filiis poſt matrem decedentibus patrem ab inteſtato*

dietate filiis non extantibus.

21 *E contrario matrem ſoluto matrimonio ſuperſtitem penitus excludit a filii inteſtati ſucceſſione in bonis paternis.*

22 *Conſuetudo Neap. patrem a bonis maternis, & matrem a paternis filii præmorientis pariter excludit.*

23 *Sine pacto expreſſo non ſervatur novus uſus, ſed mos antiquus.*

24 *Etiam inter Nobiles Capuani & Nidi.*

25 *Vim enim juris municipalis non obtinuit idem uſus ex regia confirmatione conſuetudinum ſedilium Civitatis.*

26 *Continet pactio novi uſus mutuam utriuſque parentis renunciationem abdicativam & extinctivam bonis omnibus lineæ non ſuæ, etiam quoad legitimam.*

27 *Sed non prohibet filiis volentibus diſponendi facultatem in beneficium alterutrius parentis de bonis alieni lateris.*

28 *Excludit generatim deſcendentes omnes, & collaterales a ſucceſſione bonorum ex aliena linea obventorum.*

29 *Pariter Neap. conſuetudo* ſi qua moriens *concedit facultatem diſponendi de decima parte nedum dotis, ſed aliorum quoque bonorum ab agnatis, vel cognatis obvenientium.*

30 *Idemque de ſemiſſe, vel octo unciis parati, ac donatorum a conjuge.*

31 *Avia quoque, & quævis mulierum aſcendentium ex Neap. conſ. de ſola dotis decima liberis extantibus diſponit, etiamſi bona ſint extra diſtrict.*

32 *Niſi filii matri viduæ renunciaverint ejuſmodi conſuetudinariam ſucceſſionem.*

33 *Filii ſuper novem maternarum dotium partibus æs alienum matris non ſolvunt, niſi juſta de cauſ-*

TAmetſi dotem alienare inter vivos prohibentur vir, ſimul & uxor jure communi per explanatam legem Juliam, & S.C. Vellejanum; nulla tamen lex
1 individualis habetur in jure communi, quæ mulieribus vetuerit facultatem de dotibus ſuis adventitiis diſponendi cauſſa mortis, eaſque poſt ipſarum obitum titulo hereditatis, vel legati, vel donationis transferendi ad aliquam ex ſibi prædilectis perſonis. Eamque ob rem inſpecto jure communi mulier (niſi obſtet pactum reverſivum, aliudve frænum in dotalibus inſtrumentis appoſitum) libere teſtatur, diſponitque de ſuis dotibus adventitiis tanquam de patrimonio ſuo; non aliter quam ceteri hominum, & mares, & fœminæ de rebus ſuis diſponunt ad libitum, quum ab initio ipſius uxoris fuerint, & naturaliter in ejuſdem permanſerint dominio res in dotem ab extraneo acceptæ, *l. in rebus* 30 *D. de jur. dot.* Quandoquidem pro diſpoſitione teſtamentaria ceſſat favor dotium, ratioque prohibitæ alienationis, conſervandi ſcilicet muliebrem honeſtatem, quæ ob inopi-
2 am maxime periclitatur. Dos profectitia tamen excipitur, quæ ſoluto matrimonio ad parentem dotatorem, ejuſque heredes regredi quum debeat *l. dos a patre C. ſoluto matrim.*, diſpoſitioni teſtamentariæ mulieris nullimode ſubjacet ſecundum leges Romanorum tam relictis, quam non relictis liberis. Ut enim Ulpianus tradit in *fragm. Inſtit. tit.* 6, *mortua in matrimonio muliere dos a patre profecta ad patrem revertitur, quintis in ſingulos liberos in infinitum relictis*. Et Juſtinianus quintas ejuſmodi quoque liberis ademit *in l. ſileat C. de rei uxor. act.* Vix autem ex pacto ſpeciali inter maritum, & ſocerum convento Romanæ leges permittebant viro profectitiæ dotis retentionem ſuluto matrimonio per mortem uxoris apud ſuperſtites liberos: propterea quod Jureconſulti pactionem ejuſmodi ratam habe-

bant

puanæ, *&* *Nidi num.* 533. Convenit enim potiſſimum vel cum conſt. *in aliquibus*, & conſt. *ut de ſucceſſionibus*, vel cum legibus communibus Romanorum. Mos iſte complectitur decem articulos a jure communi plerunque diſcrepantes, quos Camillus Salernus e prothocollis Notarii Jo: Baptiſtæ de Valle, aliorumque tabellionum tranſcripſit in *add. ad Neap. conſuet.* incipientem *ſi quis*, *vel ſi qua eod. tit. de ſucceſſ. ab inteſt. num.* 195. Quorum tenor eſt hujuſmodi.

4 In primis, *ſi mulier nupta a patre ſecundum dictum uſum moriatur abſque liberis ex eodem matrimonio inteſtata, vivente patre, reſtitutio dotium debet fieri ipſi patri: ſi vero patre præmortuo ſimiliter inteſtata, dotis reſtitutio fiat proximioribus in gradu ex linea paterna.* Non igitur heredibus fortaſſe extraneis patris dotatoris, ſecundum juris communis regulam *in l.* 12 *D. de pact. dot.* dictaque *l. dos a patre C. ſol. matr.*, ſed proximioribus ex linea paterna dos profectitia hoc in caſu reſtituitur. Primo huic capitulo moris Magnatum conſonat Neap. conſuetudo *ſi quis*, *vel ſi qua*, quæ bona paterna morientis ab inteſtato ſine liberis defert proximioribus agnatis.

5 II. *Si mulier nupta a patre ſecundum dictum uſum, moriens abſque liberis fecerit teſtamentum, poteſt de ſuis dotibus patre mortuo in totum legare, cui voluerit: ſin autem pater ſupererit, non poteſt aliquo modo de aliqua parte ipſarum dotium teſtari.* Quum enim in locum legitimæ in Regno dos ſubrogetur ex ſupra expoſitis *c.* 2 *n.* 20, filia ſuper paternis bonis, quoadusque pater vivit, nullum dominii quæſitum jus habet, legitimamque portionem jure naturæ ſingulis filiis debitam nonniſi mortuo patre acquirit, ac poſtulat. Jure merito igitur dotem profectitiam filia ſine liberis moriens debet relinquere patri,

tri, *ne*, ut ait Plinius in paneg. Trajani, *eodem momento, quo deſiit eſſe pater, hoc quoque amittat, quod pater fuit.* Seu ut filiæ amiſſæ dos ſolatii loco cederet *l. 6. D. de jur. dot.*

6 III. *Si mulier nupta ut ſupra, & ſecundum dictum uſum moriatur filiis ſuperſtitibus, uno, duobus, vel tribus, patre ſuperſtite, poteſt de ſuis dotibus teſtari in totum, legitima ipſarum dotium dictis filiis relicta, quæ in caſu præmiſſo intelligitur tertia pars, & ſic de duabus partibus dotium teſtari poteſt. Si vero ſupereſſent quatuor filii, ſeu plures, mulier ipſa teſtari poteſt tantum de integra medietate dotium, legitima ipſis filiis ſemper ſalva, quæ in caſu præmiſſo eſt integra medietas dotium.* Quantitas legitimæ hoc in articulo reſervata filiis juxta eorum numerum eadem eſt, quam jus commune præſcripſit Nov. 18. Cumque mulieri filios, & patrem ſuperſtites habenti facultas teſtandi de dote profectitia, ſalva liberis legitima, attribuatur; conſequens exinde eſt filiam nuptam tam conſtante, quam ſoluto matrimonio ſub patria poteſtate hoc in Regno non exiſtere: factio enim teſtamenti eſſe non poteſt ei, qui ſub patria exiſtit poteſtate *l. qui in poteſtate D. qui teſtam. fac. poſſ.* Quod plenius *in lib. 1 Inſtit. civil. tit. de patria pot.* Conſequitur præterea conſuetudinem Martini hocmet municipali uſu Magnatum eſſe receptam, declaratamque, dum mulieri liberos ſuperſtites relinquenti conceditur facultas de profectitia dote diſponendi, demta legitima, quæ filiis debetur, ſublato regreſsu ad patrem dotantem, ejuſve heredes.

7 IV. *Muliere nupta ut ſupra ſecundum dictum uſum, & moriente teſtata, vel inteſtata ſuperſtitibus liberis, viro ſuperſtite, & deinde aliqua morula poſt ipſius mulieris obitum morientibus ſuis filiis, pater ſuccedit dictis filiis, morientibus in pupil-*

lari

lari ætate,vel ab inteſtato quandocunque in dotibus eorum maternis. Non aliter quam in aliis quoque bonis filii ab inteſtato decedentis ſine liberis ſuccedit pater ſuperſtes ex *Nov.* 118 *c.* 2.

8 V. *Mulier nupta ut ſupra, moriente viro ſuperſtitibus liberis, nulla per eum in ſuo ultimo teſtamento dictis ſuis liberis facta ſubſtitutione pupillari, mater admittitur ad ſucceſſionem filiorum morientium in pupillari ætate, vel ab inteſtato in bonis hereditariis paternis, mobilibus, & ſtabilibus, burgenſaticis, & feudalibus*. Conſonat hoc præterea caput cum jure communi laudatæ *Nov.* 118, *l.* 1, & Auth. *defuncto C. ad Sen. Conſ. Tertyll.* Verum erronea & vitioſa eſt extenſio hujuſce capituli ad ſucceſſionem parentis in bonis etiam *feudalibus* filii ab inteſtato morientis. Ad bona enim feudalia fere admittuntur heredes tam ultimi morientis, quam primi acquirentis: ſc. de corpore illorum, qui feudum obtinuerint, deſcendentes duntaxat ex conſueta clauſula, quæ in ſingulis feudatariorum Regni inveſtituris apponitur per dominum directum, ſeu Regem: legi autem regiæ inveſtituræ pacta ſubditorum derogare non valent. Attentoque communi feudorum jure, maritus nec etiam ſuccedit in feudo uxoris, niſi fuerit ſpecialiter inveſtitus *ex tit.* 15 *lib.* 1. *feud. an maritus ſuccedat uxori in beneficio*. Et Fridericus II. Imp. in Regni conſt. *ut de ſucceſſionibus* tit. *de ſucceſſ. nobilium in feudis* patrem ſuperſtitem excludit a feudo per filium præmorientem acquiſito, non tamen fratres ejuſdem primi acquirentis ſive germanos, ſive conſanguineos, ſive uterinos. Quas ob res pro *feudalibus* legendum eſſe *allodialibus* cenſuit Minadous *in conſt. in aliquibus in* 4 *not. num.*4, & Theodorus *alleg.* 91 *n.* 22.

9 VI. *Si mulier nupta a fratribus, vel aliis perſonis ſecundum dictum uſum abſque liberis inteſtata*

moriatur, reſtitutio fiat dictis fratribus, ſeu perſonis eam dotantibus. Fratribus vero, ſeu perſonis dotantibus præmortuis, proximioribus in gradu ex linea paterna, ſeu materna illorum, a quibus dotata fuit, reſtitutio dotium prædictarum fieri debet. Lex iſta municipalis derogavit Romano juri, quo præſumitur adventitia dos ab extraneo mulieri donata, niſi expreſſe dotans caverit eam ſibi reſtitui debere, ſoluto ſine liberis matrimonio *l. un.* §. 13 *C. de rei uxoriæ act.* Conſequens exinde eſt, ut ad heredes mulieris legitimos dos adventitia ab inteſtato deferatur tanquam patrimonium ipſius mulieris liberum, jure communi: ad extraneum vero dotantem, ejuſve heredes, jure municipali.

10 VII. *Si mulier nupta ut ſupra a dictis fratribus, moriatur ſuperſtitibus liberis in num. ut ſupra dictum eſt, poteſt teſtari de ſuis dotibus, modo ut ſupra.* Reſervato videlicet filiis triente, vel ſemiſſe pro legitima: quod juri communi conſentaneum eſt. At Neap. conſ. *ſi qua moriens* matri liberos habenti de ſola dotis decima facultatem diſponendi concedit, deferendo filiis novem reliquas partes.

11 VIII. *Mulier nupta ut ſupra a dictis fratribus, moriens fratribus ſuperſtitibus abſque liberis derelictis, poteſt de dotibus omnibus ſuis teſtari, & legare, cui voluerit.* Et juremerito quidem, propterea quod adventitia dos pleno jure mulieri acquiritur titulo tacitæ donationis, niſi in dotalibus inſtrumentis cautum ſit fratribus ipſis, ejuſve heredibus dotem tali caſu reſtitui debere. Itaque municipale jus quoad diſpoſitionem, ſucceſſionemque dotis adventitiæ favet extraneis dotantibus muliere ab inteſtato decedente contra jus commune: attamen liberam relinquit mulieri facultatem teſtandi, jure communi competentem. Sed intra Neapolis diſtrictum mulier iſtæc non poterit niſi de ſola dotium medietate diſponere,

nere, altera medietate vel dotantibus fratribus, vel eorum proximioribus reſervata ex conſ. *& ſi teſtator*.

12 IX. *Mulier nupta ſecundum dictum uſum, præmoriente viro abſque liberis ex eodem matrimonio, lucrifacit dotarium quoad plenum dominium: ideſt uſumfructum, & proprietatem. Si vero vir moritur uxore ſuperſtite, & ſuperſtitibus liberis, dicta uxor lucrifacit dotarium quoad uſumfructum tantum propter exiſtentiam liberorum*. Quid autem de dotario, ſeu antefato leges & communes, & municipales caverint, videndum infra *c*. 12.

13 X. *Mulier nupta moriens liberis ſuperſtitibus ex eodem matrimonio, non poteſt dictis ſuis filiis in pupillari ætate, vel ab inteſtato quandocumque ſine filiis aliquem ſubſtituere in ſucceſſionem ſuarum dotium: quod ſecus eſt in viro*. Idemque pariter jure communi cautum eſt, quod patrifamilias duntaxat jure patriæ poteſtatis, non autem matri facultatem attribuit conficiendi pupillarem filiis ſubſtitutionem, *l.moribus* 2 *D.devulg. & pupillari*.

14 De veritate expoſitorum capitulorum moris Magnatum S. Conſilium dubitavit olim penes Capic. *dec*. 176 *n*. 33, itemque Montanus *controv*. 2 *n*.58, Reg. Galeota *lib*. 2 *controv*. 64, & 65 *n*. 20, & Theodorus *alleg*. 91: propterea quod ex actis Notariorum publicis authentice ac rite non erant tunc temporis tranſumta. Sed poſtquam inter conſuetudines Neapolitanas a Camillo Salerno inſerta, & fideliter extracta e plurium tabellionum ſchedis fuerunt typis impreſſa & vulgata anno 1567, pro authenticis & veris habita communiter fuiſſe conteſtantur Caput. *in præl*ud. *ad conſuet. Neap*. §. 1 *n*. 14, Taſſon. *de antef.verſ*.4 *obſ*. 4 *n*. 42, Reg.Marcian.*lib*.2 *conſ*.53 *n*. 3, Camill. de Medicis *conſ*. 96, aliique paſſim.

15 Ab hoc vetuſto more Magnatum, quem vulgus nuncupat conventiones dotales *alla vecchia maniera*,

ra, ſæpe recedunt contrahentes, adponendo in dotalibus inſtrumentis expreſſum pactum contrahendi nuptias, dotemque conſtituendi ſecundum conſuetudinem, novumque uſum Sedilium Capuani, & Nidi, vulgariter nuncupatum *alla nova maniera*, maximeque diſcrepantem ab expoſito more antiquo. Cujus ſex omnes articulos tranſcripſit Reg. Conſiliarius Matth. de Afflict. initio *dec.* 237 his verbis: *Nobiles Capuanæ & Nidi habent iſtam conſuetudinem, quæ inſtrumentis dotalibus exprimitur*: videlicet.

16 I. *Si dictum matrimonium diſſolvi contingat per mortem viri, uxore ſuperſtite, liberis ex dicto matrimonio ſuperſtitibus, vel non ſuperſtitibus, dictæ dotes datæ, & per virum receptæ reſtituantur, & earum reſtitutio & aſſignatio realiter fiat dictæ uxori ſuperſtiti, ſeu ejus heredibus*. Tam ſc. ſi adventitiæ, quam ſi profectitiæ dotes fuerint: nam conſuetudo generaliter de dotibus loquens generaliter eſt intelligenda. Hinc filia, quæ in ſtatu viduitatis e patria poteſtate intelligitur exemta non minus novo uſu, quam antiquo more Magnatum, ut ſupra *n.* 6, profectitiam dotem ſoluto matrimonio apud ſe retinet, filiis etiam non extantibus.

17 II. *Si vero dictum matrimonium diſſolvi contingat per mortem uxoris, ſuperſtitibus liberis ex dicto matrimonio, dictæ dotes ſolutæ reſtituantur, & earum reſtitutio fiat ipſis liberis ex dicto matrimonio procreandis ſuperſtitibus*. Probatur heic potiſſimum conſuetudo Martini, ſupra jam expoſita *num.* 2.

18 III. *Et ubi non ſupereſſent liberi ex dicto matrimonio ſuperſtites, vel etiamſi tempore mortis dictæ uxoris liberi ex eodem matrimonio ſupereſſent, & poſtea adita hereditate, vel non adita per eos, vel alium, ſeu alios eorum nomine, liberi ipſi decederent, vel morerentur in pupillari*

ætate,

ætate, vel poſt quandocunque ab inteſtato ſine liberis legitimis & naturalibus, dictæ dotes modo prædicto receptæ veniant & devenire debeant, & ipſarum reſtitutio realiter fiat, & fieri debeat heredibus & ſucceſſoribus dictæ uxoris, ſeu heredibus dotantis in pace & ſine moleſtia & contrarietate quacunque, ac omni exceptione remota: ita quod eo caſu quo, ut prædicitur, reſtitutio eſt facienda de dd.dotibus heredibus & ſucceſſoribus uxoris, ſeu dotantis, ejus viro, vel aliis quibuſcunque perſonis (eiſdem liberis, ſicut prædicitur, decedentibus in pupillari ætate, vel poſt quandocunque ab inteſtato ſine liberis legitimis & naturalibus) ex paterna linea, vel etiam ſuccedenti
19 *eis vigore pupillaris ſubſtitutionis, vel aliter, nullum jus in ejuſdem dotibus, ſicut prædicitur, datis & receptis acquiratur. Sed ipſas dotes, ut prædicitur, quicunque heres dictorum filiorum procreandorum ut ſupradictum ex matrimonio ſupradicto eis vel ab inteſtato, vel ex pupillari ſubſtitutione, vel aliquo jure quocunque ſuccedens heredibus & ſucceſſoribus dictæ uxoris reſtituere teneatur abſque detractione alicujus portionis jure naturæ forſan debitæ, ſeu debendæ dicto marito in eiſdem dotibus dictorum filiorum ſuorum exinde procreandorum ex dicto matrimonio.* En præcipuum diſcrimen novi uſus ab antiquo more Magnatum. Pater ſiquidem, qui non minus jure communi, quam municipali, & more Magnatum filiis ab inteſtato decedentibus ſine liberis ſuccedit in univerſam hereditatem ex quibuſlibet bonis etiam maternis conflatam, ut ſupra dictum eſt *num.* 7; per novum uſum omnino excluditur a ſucceſſione filiorum ſuorum quandocumque ab inteſtato decedentium quoad bona materna, atque a jure quoque legitimæ. Pariterque ſubſtitutus a patre pupillariter, qui in uni-

verſum defuncti patrimonium ſuccedit, maternas pupilli dotes nullimode valet acquirere, eaſque tenetur legitimis heredibus mulieris, ſeu dotantis reſtituere.

20 IV. *Salva poteſtate teſtandi dictæ uxori juxta uſum conſuetudinis Neapolitanæ in ſcriptis redactæ.* Puta de decima tantum, exiſtentibus liberis juxta conſ. *ſi qua moriens*, infra exponendam *num.* 29: atque de medietate liberis non ſuperſtitibus juxta conſ. *& ſi teſtator* tit. *de ſucceſſ. morientis ſine filiis ex teſtamento*. Altera quippe medietas bonorum paternorum agnatis, & maternorum cognatis proximioribus ipſo jure conſuetudinario debetur: quemadmodum novem dotium maternarum partes debentur filiis.

21 V. *Et ubi contigerit virum præmori ſuperſtite uxore, ac ſuperſtitibus liberis ex dicto matrimonio uno vel pluribus: poſtmodum filii ipſi morerentur, ſeu alter ipſorum moreretur in pupillari ætate, vel poſt quandocunque ab inteſtato ſine legitimis liberis & naturalibus, nullum jus eidem uxori ſeu matri ſuæ, & ſuis heredibus & ſucceſſoribus ex materna linea ratione ſucceſſionis debeatur, nec ſit eis, vel alteri ipſorum quodlibet acquiſitum ſuper bonis paternis ipſorum filiorum, nec ei ſuccedant, nec ſuccedere debeant, nec ipſa uxor ſuccedere debeat quoquo modo: nec de bonis ipſis paternis ſuorum filiorum detrahere poſſit Trebellianicam, falcidiam, & legitimam jure naturæ debitam, & jus aliquod portionis cujuſcunque, in quantum ipſi uxori, vel ejus matri, & aliis quibuſcunque ex materna linea debeatur.* Hæc excluſio matris a ſucceſſione filiorum quandocunque ab inteſtato morientium quoad paterna bona duntaxat correlativa eſt ad præordinatam patris excluſionem a bonis eorundem filiorum maternis, ſupra *num.* 18. Quod enim de uno dicitur correlativorum,

hoc

hoc de altero quoque affirmandum eſt.

22 Proceſſit autem novus hic uſus ad ampliationem Neap. conſ. *ſi quis vel ſi qua de ſucceſſione ab inteſt.* per quam cuilibet ſine liberis legitimis defuncto ſuccedunt in omnibus bonis paternis proximiores ex linea patris, in bonis vero maternis proximiores ex linea matris. Quum enim iſtiuſmodi conſuetudo nil expreſſe caverit, ſi quis turbato naturæ ordine ſuperſtitibus patre vel matre deceſſerit ſine liberis; interpretes dubitarunt quin ea locum tunc obtineret. Inter quos prævaluit ſententia Napodani ad dict. conſ. *num.* 133 verius putantis conſuetudinem eſſe loquutam patre, vel matre, aliiſve parentibus non exiſtentibus, ideoque ipſis exiſtentibus ſervandum eſſe jus commune, æqualiter admittens utroſque parentes paternos & maternos ad univerſam filii hereditatem ſine diſcretione bonorum, ſola inter eos attenta prærogativa gradus, d. Auth. *defuncto*. Exindeque Nobiles Sedilium Capuani & Nidi ad ſuſtinendam diſtinctionem bonorum ex diverſis lineis & familiis obvenientium, eorumque conſervationem in ea, unde obvenerunt, familia, introduxerunt in dotalibus inſtrumentis pactionem novi uſus, qua extenditur diſpoſitio Neapolitanæ conſuetudinis ad omiſſum quoque caſum filii derelictis parentibus defuncti, Capic. *dec.* 210, de Franch. *in addit. ad eand. conſ. & dec.* 807. Ideoque pactio novi uſus in iſto articulo viſa eſt noſtratibus DD. nil aliud eſſe, quam ſucceſſio conſtituta ſecundum conſ. *ſi quis vel ſi qua*, addita parentum excluſione, Joſ. de Roſa *conſ.* 65.

23 VI. *Quibus omnibus juribus ac ſucceſſionibus ipſis & legitime debitis in caſu prædicto dicta uxor, & ſic partes ad invicem renunciaverunt per ſtipulationem &c. & juraverunt &c.* Ex hiſce verbis infertur, quod novus hic uſus Capuani, & Nidi in mero pacto conſiſtat: ideoque ſi partes nullatenus

expreſſerint velle pacta dotalia inire ſecundum novum uſum, tunc inter ipſas locum habebit, ac ſervabitur jus municipale, & conſuetudinarium, ſeu mos antiquior Magnatum, ut docet cit. C. de Roſa *ad conſuet. Neap. tit. de ſucceſſione ab inteſt. num.* 518 *de uſu Capuana, & Nidi*, & Antonius de Alexandro *ad conſuet. ſi quis vel ſi qua num.* 185.

24 Ex iſta præſumtione excipi Nobiles Capuani & Nidi, qui ſi promiſerint dotem, atque antefatum more Magnatum, & ſub ſilentio prætererint ſucceſſionem utriuſque parentis ad hereditatem filiorum inteſtatorum; judicari ſecundum novum uſum Capuani & Nidi eos contraxiſſe tenet Reg. Merlin. *lib. 2 controv. cap.* 49 *n.* 20, Fab. de Anna *conſ.* 118 *n.* 5, *cit.* Carol. de Roſa *ibid. n.* 528. At Panzut. *controv.* 17 *n.* 60, *& ſeq.* multis S. C. deciſionibus probat nec etiam Nobiles eorundem Sedilium Capuani & Nidi novo uſu obſtringi, niſi expreſſa inter ipſos pactio interceſſerit.

25 Et quamvis Cives Neapolitani inter preces Ferdinando Regi Catholico porrectas anno 1505 petiiſſent confirmari conſuetudines Civitatis tam ſcripto, quam ſine ſcripto, & præſertim ab ejus Sedilibus conſtitutas, quod ex *cap.* 5 privilegiorum, & capitulorum Civ. Neap. Ferdin. Cathol. perſpicuum eſt: primævam nihilominus naturam ſuam, & vim pacto contrahentium innixam novus hicmet uſus minime mutavit: nec generalem legis municipalis obligationem nactus eſt ex recepta communiter ſententia.

26 Inducitur præterea ex relatis verbis ultimi articuli uſus novi, quod ejuſdem uſus pactione inducitur mutua renunciatio inter futuros conjuges, non utique perſonalis aut translativa, ſed extinctiva prorſus & abdicativa, adeout ipſi renunciantes pro mortuis habeantur: ſicque pater intelligatur perpetuo excluſus a ſucceſſione filii mo-

rientis

rientis poſt matrem nedum in dotibus, ſed in omnibus etiam bonis maternis extradotalibus: & mater viciſſim a ſucceſſione filii poſt patrem defuncti excluſa in bonis omnibus paternis etiam de novo quæſitis, & portione quoque legitima, ut iidem Doctores teſtantur, non ſolum ab inteſtato, ſed etiam
27 ex teſtamento; Ideoque filius aut filia teſtamentum faciens minime tenetur patrem in legitima dotis quota, & matrem in legitima bonorum paternorum inſtituere, de Franch. *deciſ.* 552, & de Marin. *lib.* 2 *reſol. cap.* 92 *num.* 11. Si tamen libuerit, poſſe filium poſt pubertatem de dotibus, aliiſque bonis maternis diſponere in beneficium patris, non obſtante pacto novi uſus, cenſuit Stephanus Gaeta ad *conſ. filiusfamilias* tit. *de fil. fam. volentib. teſtari*; ibique refertur deciſum a S. C. die 24 Decembris 1547. Nanque permittit eadem conſuetudo filiisfam. de bonis maternæ lineæ adventitiis teſtari, acſi pa-
28 tresfam. ſint. Iidemque DD. præterea ſubdunt ibid. ejuſmodi pacto novi uſus deſcendentes etiam parentis renunciantis, (puta conſanguineos, vel uterinos morientis fratres) & collaterales a ſucceſſione bonorum ex aliena linea obvenientium excludi. Cum enim novus uſus introduxerit mutuam parentum renunciationem omnino abdicativam & extinctivam, deferat oportet ſucceſſionem filiorum ut ſupra morientium ad proximiores agnatos, vel cognatos ejus lineæ, de qua bona provenerunt; vocatos ex Neap. conſ. *ſi quis, vel ſi qua*; aut etiam ex edicto ſucceſſorio. Ideoque ſi pactio dotalis ſecundum novum uſum inita ſit per unum ex ipſis ſucceſſoribus, adhuc proderit omnibus aliis in eodem proximitatis gradu exiſtentibus, atque a conſuetudine vocatis, Joſ. de Roſa *loc. cit.*
29 Conſentanea eſt huic pacto Neapolitana conſuet. *ſi qua moriens* tit. *de muliere habente filios qua-*
liter

liter ſuam dotem diſponit (1), quam commorantes intra diſtrictum Neapolis ſine expreſſa quoque pactione ſervare tenentur. Sic enim conſtituit: *ſi qua moriens habeat filios ſeu liberos, poteſt de dotibus ſuis, & aliis ſibi obvenientibus ab agnatis, vel cognatis jure ſucceſſionis, vel titulo lucrativo in ſua ultima voluntate relinquere de decem parti-*
30 *bus unam tantum. Paratum autem pro eadem muliere, ſive ad uſum ipſius mulieris durante matrimonio; nec non donatum a marito præſente ipſi mulieri tempore contracti matrimonii, & quartam, ſi quam habet ab aliquo alio marito defuncto, a quo liberos non habuerit, poteſt relinquere, & de his diſponere pro ſuæ arbitrio voluntatis, ſalvo liberis utriuſque matrimonii, & parentibus debito bonorum ſubſidio.*

31 Quoniam vero in textu conſuetudinis Neapolitanæ non ſolum filii, ſed etiam liberi generaliter conſiderantur, & liberorum appellatione nepotes, & pronepotes, cæterique deſcendentes continentur *l. liberorum D. de verbor. ſign.*; juremerito Carolus de Roſa *ibidem num.* 4, *& ſeq.* interpretando opinatur nedum matrem, ſed etiam aviam, & proaviam, quæ habeat ex filio maſculo nepotes, vel pronepotes, non poſſe diſponere ultra decimam dotis partem: quum in reliquis novem partibus ſit inteſtabilis, non ſecus quam mater. Idque procedere, etiamſi bona dotalia eſſent extra diſtrictum, quia dotis nomen eſt vocabulum ubique vigens, refert deciſum
32 Franch. *deciſ.* 472. Dummodo filii mortuo patre, dotem matri ſuæ reſtituentes per publicum inſtrumentum,

---

[1] Conſuetudo Civitatis Surrenti conſonat cum conſuetudine Neapolitana, quoad bona antiqua filiis exiſtentibus, de Franch. *dec.* 595 *n.* 1.

tum, non tradiderint dotalem pecuniam cum expreſſa clauſula *ad habendum, & alienandum, &c.* & aperte per eandem clauſulam ſucceſſioni conſuetudinariæ non renunciaverint, ut Scipio Bucinus deciſum refert in dicta conſuetud. *ſi qua moriens*.

33 Novem iſtæ partes utrum filiis ac nepotibus deferantur uti heredibus matris & aviæ, an uti ſucceſſoribus de ſanguine illorum, a quibus bona ad matrem & aviam ipſam pervenerunt; nonnihil eſt inter noſtrates Doctores diſputatum. Communior ſententia, quam cum Præſid. de Franch. *dec.* 347, de Ponte *conſ.* 61, aliiſque ſequitur citatus de Roſa *ibidem n.* 14, tenet eas deferri non uti heredibus, ſed uti filiis ex pacto civium & providentia conſuetudinis. Exindeque infert in eiſdem novem partibus filias præferri creditoribus matris, vel aviæ, qui nullam ſine aſſenſu regio & ſine juſta alienandi cauſſa hypothecam ſuper dotibus quæſiverint: ipſoſque creditores nec etiam in ſubſidium poſſe quidquam a filiis revocare, judicatum anno 1558 in S. Conſilio refert: dummodo contracta non eſſent debita per matrem, aviamque ex juſta & rationabili cauſſa neceſſitatis, vel utilitatis, vel pietatis, & rite cum regio aſſenſu. Tunc enim alienatio dotium cum permittatur, conſequens eſt, ut rata eo fortius permaneat obligatio æris alieni, & hypotheca ſuper iiſdem. Quibus attentis circunſtantiis Card. de Luca *diſc.* 103 *de dote num.* 6, contra autumavit novem dotium maternarum partes ipſo jure conſuetudinario deberi filiis tanquam heredibus, ideoque obligatis ad ſolvendum æs alienum a matre citra fraudem, rite, juſtaque de cauſſa contractum. Si ergo utraque ſententia filiis defert novem ejuſmodi dotium partes, deducto ære alieno, juſta de cauſſa, & rite contracto; & viciſſim alios creditores maternos concorditer excludit ab hypotheca dotium; nequit ſucceſſionem

nem jure proprio, vel hereditario, ceu cauſam demonſtrare effectus hic, ſcilicet obligatio æris alieni? Quin iſtiuſmodi quæſtio potius verborum, quam rerum eſſe videtur, dum in definiendis regulis ex ea conſequentibus nil diſcrepant inter ſe Doctores.

34 Ut autem proprietas verborum, quoad ejus fieri poteſt, ſervetur; dicendum eſt diverſis in caſibus utramque ſententiam locum ſuum obtinere. Profecto ſi mulier *patre ſuperſtite* moriens filios relinquat, dos profectitia hoc caſu debetur filiis non quidem ut heredibus matris, quæ liberum dotis profectitiæ dominium ac diſpoſitionem vivente patre nequaquam habuit; ſed uti filiis & ſucceſſoribus jure proprio ex generali conſuetudine Martini ſupra laudata *num.* 2 & infra exponenda *cap.* XIII, impediente regreſſum dotis profectitiæ ad patrem dotatæ ſuperſtitem, de qua particularis Neapolitana conſuetudo interpretationem accipit. Decedens vero mulier poſt mortem patris ſui dotantis, quoniam patre mortuo dotem ſibi quæſivit loco legitimæ, ſuumque fecit patrimonium, eam filiis ſuis defert uti heredibus. Quemadmodum hac quoque ratione adventitiam dotem ad ipſos uti heredes generatim transfert. Quod etiam maturiori conſilio perpendit laudatus de Luca *in ſeq. diſc.* 104 *num. ult.*

35 Indubium præterea eſt eaſdem novem dotium partes filiis debitas nullo fideicommiſsi, aut legati onere per matrem affici poſſe; non aliter quam trientem, vel ſemiſsem legitimæ, de Franch. *deciſ.* 486, & Card. de Luca *dict. diſc.* 103 *de dote num.* 7.

36 Moriens autem ſine filiis ſuperſtitibus mulier de medietate dotis ad libitum diſponit, ſalva agnatis, & cognatis, a quibus dos provenerit, altera medietate, ex Neap. conſuet. *& ſi teſtator* ſub tit. *de ſucceſſ. morien. ſine filiis ex teſtam.* quemadmodum de-

cifum

ciſum refert in S. Conſilio de Franch. *dec.* 518 (1).

37 Hactenus expoſita locum obtinent, quotiens ad ſecunda vota mulier non tranſiverit: hoc enim caſu magis anguſta & refrænata eſt ejuſdem facultas in diſpo-

---

(1) Ad rem iſtam Barenſes quoque habent conſuetudines novas ab antiquis diſſentaneas, eaſque in tres articulos diſtributas refert Maxilla ſub tit. *de jure dot.* Antiqua incipiens *dos a patre* diſpoſuit dotem a patre profectam, vel ab extraneo cum pacto reverſivo acceptam ad dotantem redire debere, ſi mulier ſine liberis moreretur. Filiis autem ſuperſtitibus infra legitimam ætatem, ſub fidejuſſione reduci debere ad dotantem ipſum, & ab eo tandiu cuſtodiri, donec ad ætatem pervenerint legitimam, ſcilicet poſtquam maſculi decimum octavum, & fœminæ duodecimum exceſſerint annum. Intereaque fructus rerum immobilium eis lucro cedere, quibus dos vel ex lege, vel ex pactione redhibetur, adeo ut filiis nihil exinde tribuatur, niſi fame laboraverint, non habentes unde poſſint ſuam inediam ſuſtentare: tunc enim de dotium fructibus erunt nutriendi. Filiis poſtea ad ætatem legitimam venientibus, ſive materni parentes, ſive alii dotem obtineant, ipſis debent ſine deminutione, & ſine alia fidejuſſione reddere, quum de ea iiſdem liberum tunc arbitrium ſit diſponendi. Hujuſce conſ. meminit Card. de Luca *diſc.* 105 *de dote n.* 12. Aliaque pariter vetuſta Barenſis conſ. *mulier eod. tit.* cavit, ſoluto per mortem viri conjugio mulierem ad utendum, non vero abutendum eſſe dominam dotis generatim ſive profectitiæ, ſive adventitiæ, eamque pro rebus, quæ uſu conſumuntur, debere ad *modum fructuariæ* idoneam facere cautionem tam filiis, ſi habeat, quam parentibus, ſi liberos non habeat.

Primum vero caput conſuetudinis novæ ſtatuit poſt mortem mulieris virum ſuperſtitem cum liberis penes ſeipſum detinere pecuniam dotalem, ſeu ſortem cum onere alendi filios ex fructibus ejuſdem: bona tamen mobilia tradere dotantibus debere ſub fidejuſſione ad formam expoſitæ conſuetudinis antiquæ. II. Quod mortua ſine liberis muliere bona omnia dotalia æſtimata, vel inæſtimata (exceptis uſu, vel vetuſtate conſumtis) vir, ejuſque heredes ſtatim reſtituant: pecuniam vero poſt anni circulum a die ſoluti matrimonii computandum. III. Quod uxori ſuperſtiti, ſive cum liberis, ſive ſine illis heredes prædefuncti viri & bona omnia, & pecunia dotalis incontinenti reſtituere debeant.

la-

ſpoſitione, & acquiſitione dotium prioris matrimonii. Profecto Impp. Gratianus, Valentinianus, & Theodoſius in celeberrima *l. fœminæ* 3 *C. de ſecund. nupt.* ſic reſcripſerunt: *Fœminæ, quæ ſuſceptis ex priori matrimonio filiis ad ſecundas tranſierint nuptias, quicquid ex facultatibus priorum maritorum ſponſalium jure, quicquid mortis cauſſa donationibus factis, aut teſtamento jure directo, aut fideicommiſſi, vel legati titulo, vel cujuslibet munificæ liberalitatis præmio ex bonis priorum maritorum fuerint aſſequutæ, id totum itaut perceperint, integrum ad filios, quos ex præcedenti conjugio habuerint, tranſmittant, vel ad quemlibet ex filiis, in quem contemplatione meritorum liberalitatis ſuæ judicium mater crediderit dirigendum. Nec quicquam eadem fœmina ex iiſdem facultatibus alienandum in quamlibet extraneam perſonam, vel ſucceſſionem ex alterius matrimonii conjunctione ſuſceptam præſumant, atque habeant poteſtatem poſſidendi tantum: atque fruendi in diem vitæ, non etiam alienandi facultate conceſſa. Nam ſi quid ex iiſdem rebus in alium quemlibet fuerit ab ea translatum, ex maternis reintegrabitur facultatibus*

Inſuper ex ſeq. conſ. *marito* mulier Barenſ. ad ſecundas tranſit nuptias cum integra dote profectitia ex primis nuptiis obventa, quam pater nequit deminuere, etiamſi patrimonii ſui deminutionem paſſus fuerit.

Bitunti autem conſuetudo in ſcriptis redacta diſponit, quod moriente matre filiis ad ætatem decem & octo annorum perductis tam medietas dotium ex eadem conſuetudine interim tenenda per dotantem, quam altera medietas tenenda per ſponſum, aſſignentur per eoſdem dotantem, & ſponſum eiſdem filiis ex ipſo matrimonio procreatis, remanſuræ irrevocabiliter & perpetuo apud eos. De qua diſſeruit Card. de Luca *diſc.* 105 *in Bitunt. fideicomm.*

bus, quo illibata ad eos quos ſtatuimus liberos bona, & incorrupta perveniant.

38 Et e contrario *in ſeq. l. generaliter* 5 *C. eod. tit.* conſtitutum eſt per eoſdam Imperatores, ut quemadmodum mater tranſiens ad ſecunda vota, lucra prioris matrimonii tenetur reſervare filiis ejuſdem matrimonii, ita vir etiam tranſiens ad ſecunda vota tenetur filiis ejuſdem matrimonii lucra dotis reſervare.

39 Quod vero ad alterum ex conjugibus revertitur de eo, quod ipſemet dedit, ſervare non cogitur filiis prioris conjugii ex reſcripto Zenonis *in l. ſi liberis* 18 *C. de donat. ante nupt*, Ideoque *pater donationem propter nuptias, quam contulit in uxorem, non cogitur ſervare liberis prioris matrimonii, & ſi ad ſecundas nuptias migraverit: aliud eſt ſi apud maritum aliquid ex dote, vel apud mulierem ex donatione reſedit. Illud enim ſervare liberis prioris matrimonii debet* ex Auth. *pater donationem C. de donat. ante nuptias, & Nov.* 119.

40 Et quamvis poterat conjux ſecundo nubens totam dotis quantitatem uni ex liberis prioris matrimonii conferre, & largiri, ſervata ceteris legitima juxta *cit. l. fœmina*; Juſtin. tamen id correxit *Nov.* 2, & *Nov.* 22 præcipiens ut lucrum hujuſmodi æqualiter inter liberos lege, non autem arbitrio parentis diſtribuatur.

41 Præterea Imperatores Leo, & Anthemius *in celeberrima l. hac edictali C. de ſecund. nupt.* conſtituerunt: *ſi ex priore matrimonio procreatis liberis pater, vel mater ad ſecunda, vel ulteriora matrimonii vota migraverit, non ſit ei licitum novercæ, vel vitrico teſtamento, vel codicillis ſive hereditatis, ſive legati ſive fideicommiſſi titulo plus relinquere, quam reliquerit uni ex filiis primi matrimonii, cui minus reliquerit,* quo-

quotiens non æquis portionibus ad eoſdem liberos diſtributæ ſint facultates parentis teſtantis ; & quod ultra reliquerit non valet, ſed inter liberos æqualiter dividitur: quam obſervationem in perſonis etiam avi, vel aviæ, aliorumque majorum, itemque nepotum, vel neptium, & ceterorum ſuccedentium, ſive in poteſtate ſint, necne, cuſtodiri cenſuerunt. *Sin vero liberorum ſuorum affectione ſervata pater, materve ad alias nuptias migrare noluerit, pro ſuo arbitrio alienare, ac diſponere utpote domini non prohibentur bona, quæ de ſubſtantia præmortui conjugis habuerint.*

42 Filius vero adeo lucrum ſibi proveniens propter ſecundas nuptias parentis, vel alterius aſcendentis acquirit, ut illud transmittat ad deſcendentes ſuos, excluſis aſcendentibus, & collateralibus quoque ante aditam hereditatem, quin habet etiam electionem transferendi illud lucrum in quem volet liberorum ſuorum *ex l. in quibus caſibus 7 C. eod. tit.* Quam ſane legem minime abrogavit Juſt. *Nov.* 2, ubi matri electionem eandem adimit, non autem ejus filio.

43 Uſumfructum quoque bonorum a priore conjuge relictum amittebat ſuperſtes conjux ad ſecunda tranſiens vota *l. unica C. ſi ſecundo nupſerit mulier, cui maritus uſumfructum reliq.* Quam conſtitutionem correxit Juſtinianus *Nov.* 22 *cap.* 32 præſcribens hoc locum habere, ſi datus, vel relictus fuerit uſusfructus eo pacto, ut ex ſecundis nuptiis interiret; alioquin perſeverat ſive relictus eſset, ſive donatus, quibus caſibus licuit.

44 Et quoniam moriens maritus uxorem ſuperſtitem ſolet dominam, & uſufructuariam hereditatis ſuæ ſcribere, jus commune præſumit eidem bonorum omnium uſumfructum reliquiſse *l.* 35, & 37 *D. de uſu-*

uſufructu legato. In permultis tamen locis mos inolevit, ut liberis exiſtentibus, vel heredibus inſtitutis, alimenta ſolummodo matri eorum, ſeu teſtatoris uxori præſtentur, cum hac prærogativa, ut illa non e manibus filiorum, aliorumve heredum, ſed manu ſua, veluti adminiſtratrix accipiat alimenta; liberis vero defunctis mater eadem plenum conſequitur uſumfructum, itaut non poſſit ab eorum heredibus moleſtari: deducta tamen portione legitima, quam vir moriens uſufructu gravare, vel onerare non poteſt, tanquam ad filios omni jure pertinentem ſine ullo onere. Theſaurus *quæſt. forenſ. qu.* 54, & Perez. *ad tit. C. ſi ſecundo nupſerit mulier n.* 2.

C A P. XII.

DE DONATIONIBUS INTER VIRUM ET UXOREM.

Ex lib. 5 Cod. tit. 16.

1 *Conſtante matrimonio vetita eſt donatio ſimplex inter conjuges.*
2 *Donanti conjugi, ejuſque heredibus datur vel reivindicatio ad rem, vel condictio ad pretium recuperandum.*
3 *Dummodo donatarius factus ſit locupletior.*
4 *Aut pro dignitate conſequenda non ſit donatum.*
5 *Neque in remunerationem.*
6 *Oneroſi contractus ſub ejuſmodi prohibitione minime comprehenduntur.*
7 *Si donata rei tradita ſit, conjux lucratur fructus induſtriales, non autem naturales.*

8 *Per mortem donantis conjugis ratificatur donatio, niſi revocata fuerit.*

9 *Cauſſa mortis donatio quoque ſuſtinetur.*

10 *Et ob juramentum jure communi, ſecus municipali.*

MOribus primum Romanorum, deinde Senatuſconſulto poſt orationem Antonini Auguſti edito generatim ſub pœna nullitatis quælibet
1 ſimplex donatio inter conjuges conſtante matrimonio prohibita eſt, bonorum etiam extradotalium, de quibus alteruter cæteroqui liberam habeat alienandi & largiendi aliis facultatem, ob multas quidem rationabiles cauſſas, Senatui expoſitas & probatas *l.* 1, *& ſeq. D. de donat. inter. vir. & uxor.* Quandoquidem, ut habetur *in l. hac ratio* 3 *D. eod.* Antoninus Imperator ante exceſſum Imp. Severi patris ſui oratione in Senatu habita ſic alloquutus eſt: *Majores noſtri inter virum, & uxorem donationes prohibuerunt, amorem honeſtum ſolis animis æſtimantes, famæ etiam conjunctorum conſulentes, ne concordia pretio conciliari videretur, neve melior in paupertatem incideret, deterior ditior fieret.*

2 Res ergo nulliter donata, vel ſimulato contractu tradita conjugi ſi exiſtat, poterit eam donator, vel ejuſdem heres reivindicare, dummodo donantem pœnituerit *l.* 32 §.4 *D. hoc tit.* Si autem conſumta fuerit, & donatarius tempore litis conteſtatæ factus ſit locupletior, competit condictio donanti, ſeu actio perſonalis ad pretium repetendum *l.* 5 §. 18, *& ſeq. D. eod.*

3 Quandoque tamen donationes ejuſmodi inter conjuges ſubſiſtunt, & prohibitio ceſsat. I. cum donans pauperior, & accipiens locupletior non fit: puta ſi

mancipium manumiſſionis cauſsa donetur *l.* 22 *C. hoc tit.* & *l.* 5 §. 16 *D. eodem*. Ubicunque igitur non deminuit de facultatibus ſuis, qui donavit, valet; vel etiam ſi deminuat, locupletior tamen non fit, qui accepit, donatio valet: eaque de re ſi tradita res ſit, a donante conjuge repeti nequit, niſi quatenus accipiens factus inde ſit locupletior *l.* 8, 9, & 17 *C. eodem*.

4 Itidem ſi mulier viro pro dignitate adipiſcenda quid largita fuerit, rata erit donatio *l.* 21 *C. hoc tit.*

5 Suſtinetur præterea donatio remuneratoria, cum ſit potius quædam debiti compenſatio *l.* 7 §. 2 *D. hoc tit.* Compertum enim eſt remuneratorias donationes communibus liberalitatis legibus exemtas eſse ex reſponſo Papiniani in *l. Aquilius regulus* 27 *D. de donat.* Quemadmodum cenſetur donatio, quam ſenex in uxorem adoleſcentulam, & plebejus in nobilem contulerit, Facchinæus *lib.* 3 *controv. cap.* 8. Ideoque erit in poteſtate judicantis definire, quæ intra legitimum modum facta fuerit donatio, quæve merita non exceſserit. Perez in *lib.* 5 *C. ad hunc titulum num.* 10.

6 Eoque magis oneroſi contractus, puta venditionis, tranſactionis, ceterique procul dubio licent, valideque inter conjuges fiunt, dummodo ſimulatio abſit, & animus occultandi prohibitam donationem ſub pallio liciti contractus *l. ſi ſponſus* 5 § *D. eod. tit.* Eamque ob rem ubi conjux conjugi vendiderit aliquid, & pretium vel totum, vel pro parte donaverit ſeu remiſerit, heres vendentis non quidem res venditas repetet, ſed pretium minime ſolutum *l.* 9, & 16 *C. hoc tit.*

7 Verum donatio ſimplex omnino inutilis eſt, etiam ſi transferat poſseſſionem in donatarium: poſseſſio

 quippe

quippe magis facti eſt, quam juris *l.* 3 §. 4 *D. de acquiren. poſſeſſ.* Et non prodeſt poſſeſſio iſta ad uſucapiendum, vel ad acquirendum dominium *l.* 26 *D. hoc tit.*, licet ſufficiat ad fructus *induſtriales* ex re donata percipiendos *l.* 45 *D. de uſuris*, exceptis *naturalibus*, qui ad donantem pertinent, alias fieret pauperior ex prohibita donatione contra regulas modo traditas.

8 Inſuper utilitatem tribuit magnam iſtæc donatio poſt mortem donatoris, qui eam non revocaverit vivens *l.* 25 *C. hoc tit.*: præſumitur enim uſque ad extremam vitæ diem perſeveraſse in animo donandi, dummodo nec tacite, nec expreſse pœnitentiam ſuam, vel revocationem declaraverit *l.* 32 §. 2 *D. hoc tit.* Tacita quidem revocatio inducitur per alienationem a donante ipſo factam rei nulliter donatæ: tametſi Juſtin. *Nov.* 162 voluit per oppignerationem rei donatæ minime revocari præviam donationem, neque præſumi mutatam donandi voluntatem, cum neceſſitatis potius, quam donationis revocandæ
9 gratia rem pigneraſse videatur. Eoque magis donatio firmabitur teſtamento donatoris *l.* 14 *C. hoc tit.* Quia in id tempus excurrit donationis eventus, quo vir & uxor eſse deſinunt diſsoluto per mortem alterutrius conjugio *l.* 9, & 10 *cum ſeq. D. eod.*

10 Præterea confirmatur inter conjuges donatio per juramentum *arg. cap. debitores de jurejurando, cap.* 28 *eodem tit.*, & *cap.* 2 *de pactis in ſexto*. Juramentum quippe ſervandum eſt ſemper, ubi non vergit in diſpendium æternæ ſalutis, quam ob rem hodie paſſim valere conjugum donationes Doctores affirmant ex communi Decretalium jure. At in laicalibus Regni Curiis ex jure municipali Prag. *un. ſub tit. de Sen. Conſ. Vell.* (de qua ſuperiori cap. 10 nu. ult.) juramentum utisjcoorior ium ſequitur naturam prin-

principalis contractus, ejuſque nullitatem legibus præſcriptam.

C A P. XIII.

DE DONATIONE PROPTER NUPTIAS, SIVE QUARTA, VEL ANTEFATO, ET ALIIS DONATIVIS.

Ex tit. 44 Corporis Pragmaticarum.

1 *Propter nuptias donatio dicta etiam eſt donatio ante nuptias, antidos, hypobolon, dotalitium, dotarium, quarta, tertiaria, antefatum.*

2 *Pro donatione iſta invaluit in Regno antefatum, & donativum.*

3 *Quantitati dotis datæ reſpondet æqualiter antidos, quæ dote minor, non major conſtitui pacto poteſt.*

4 *Olim in Regno pro antefato ex more Magnatum tertia pars dotium ſocero ſuperſtite, aut ſexta ſocero prædefuncto: ex novo uſu medietas dabatur viduæ cum filiis in uſumfructum, ſine liberis etiam in proprietate.*

5 *Hodie tamen ſervatur taxa antefati & donativi per reg. Pragm. conſtituta.*

6 *Qua minorem, non vero majorem quantitatem paciſci permittitur.*

7 *Ejuſque medietatem lucrari ſolet futura ſponſa per oſculum.*

8 *Sine promiſſione adhuc debetur antefatum.*

9 *Et promiſſio poſtulatur ob hypothecam a die in-*

 ſtru-

ſtrumenti, & judiciariam probationem.

10 Pater etiam mariti, ſi dotem nurus accipiat, pro dote, ac dotario cavere debet.

11 At dote non data nec etiam antefatum debetur, quod moderamen accipit a ſoluta dotis quantitate.

12 Mariti dotem non exigentis mora non officit lucro antefati.

13 Sed maxime mora promiſſoris.

14 Jus antefati ut acceſſorium regitur jure dotis ut principalis.

15 Gaudet idcirco privilegiis dotalibus in pactionibus, alienationibus, & obligationibus mulierum, & feudatariorum.

16 Sed dubitatur adhuc de privilegio potioritatis.

17 Intra diſtrictum Neap. vidua cum liberis fructus, ſine liberis proprietatem quartæ lucratur, eamque auctoritate propria capit.

18 Quod ſponſæ donatur ob ſponſalitiam largitatem ſubeſt conditioni futurarum nuptiarum.

19 Sponſa poſt oſculum medietatem donatarum rerum heredibus ſponſi reſtituit, ſecus univerſas.

20 Nuptiis non initis arrhæ ſponſaliorum, & res invicem donatæ fere redduntur.

21 Neapoli de parato quotidiano mulier diſponit ob præſumtam viri donationem.

22 At traditum ſponſæ a ſponſi conſanguineis donatum non præſumitur.

DOs viro ex parte mulieris data donationem pro-
pter nuptias uxori viciſſim ex parte viri mere-
tur. Auth. *dos data C. de donationibus ante nuptias,*
1 *vel propter nuptias, & ſponſalitiis*. Quæ pri-
mum *ante nuptias* vocabatur, poſt autem *propter*
nuptias dicta eſt: propterea quod ea tam ante, quam
poſt

poſt nuptias, & conſtante quoque matrimonio rata fiat *l. ſi conſtante* 19, *& l. cum mulier* 20 *C. eod.* Et quoniam hæc donatio uxori tribuitur nomine mariti, quum contra dos viro detur nomine uxoris, *antidos* apud Latinos, atque ἀντιφερνή apud Græcos appellata eſt. Quumque ſupra dotem poſt mortem mariti reddatur viduæ mulieri, dicta etiam eſt *hypobolon*, ſeu *dotis incrementum*, vel *dotalitium* cap. *plerunque de donat. inter vir. & uxor. & can. ſi autem* XXXVI *q.* 2: vel *dotarium* in hujus Regni conſtitutionibus & moribus, ut in ſuperiori *cap.* XII *num.* 12: præſertim ubi conſtituitur jure Francorum ſuper bonis feudalibus ex Regni conſt. *licentiam* tit. *de feudis in dotarium ſtatuendis*. Inſuper *quarta* (1), vel *tertiaria*, propterea quod noſtrates mores & conſuetudines variam, diverſamque dotalitii quantitatem taxaverint, vel ſcilicet pro medietate dotis, vel tertia, vel quarta (2). Ad extremum in poſterioribus legibus municipalibus *antefatum* appellatur frequentius, ex eo quod *ante* uxoris *fatum*, ſeu mortem ipſi mulieri, quoadusque ea vivat, perſolvitur ab heredibus viri, inſpecta dotis quantitate. Tametſi autem antefati vox mn-

---

[1] Quarta hæc alia eſt *a quarta uxoria*, quæ viduæ pauperi debetur ſuper bonis prædefuncti viri locupletis *Auth. præterea C. unde vir. & uxor.*

[2] Jure Longobardorum quarta iſtæc appellabatur *morgincap* ſeu *morgangeba*, & *morganatica l. ſi quis Longobardus* 1 *de* *iis quæ a vir. in mulier. dant. vel relinq. gl. in conſuet. feud.* *lib.* 2 *tit.* 8 *de inveſtitura de re aliena facta* §. *ultim. verb. quarta*, & Barenſ. *conſ. quarta tradita* 5 *de donat. inter vir. & uxor.* & in rubrica 29 *lib* 2 *feudor. de matrimonio ad morganaticam contracto*. Vox formata ex Saxonico, & Germanico morghen, mane, & gife, aut gift, *donum*, *munus*, quod maritus uxori offerebat in die nuptiarum ante nuptiale convivium, du Cange *in gl. verb. morganegiba*

municipalis penitus ignota ſit in corpore juris communis, ejuſdem nihilominus naturæ & indolis eſt antefatum, cujus eſt donatio propter nuptias, iiſdemque legibus Romanorum communibus ſubjicitur, quotieſcunque lex deficiat Regni. In locum quippe
2 donationis propter nuptias ſubrogatum in Regno videtur *antefatum*, una & *donativum*, vulgo dictum *per lacci, e ſpille*, quod uxori prævia promiſſione præſtatur tam a viro vivente, quam ab ejus heredibus pro peculiaribus neceſſitatibus, muneribuſque muliebribus explendis. De quo infra num. 5.
3 Secundum jus commune ſoluto per mortem viri matrimonio heres non modo dotem reddere uxori debet, ſed etiamſi liberi non extent, alterum tantum *antidotis* nomine: aut ſi extent, alterius tanti uſumfructum, ut conſtituit Juſtinianus *Nov.* 97. Si autem vir non integram accepiſſet dotem, tantam nomine antidotis quantitatem perſolvere, quantam maritus acceperat *Nov.* 2 *in fin.* Eademque ratione antidotem quamvis promiſſam minime deberi, ſi data dos non fuerit, *dict. Nov.* 91.
4 Quantitatem ergo dotis excedere nequibat antidos, & donatio propter nuptias, licet minorem dote paciſci permitteretur, ne fraus fieret legibus prohibentibus donationes inter virum & uxorem, *cit. l.* 19, *&* 20 *C. de donat. ante nupt.* Pacta ſiquidem conventa tam ſuper dote, quam ſuper donatione antenuptias ſervari oportet *l.* 1, *& ſeq. C. de pact. convent.* Et ſpeciatim dotis, & donationis ejuſmodi æqualitatem eſſe ſervandam, reſcripſerunt Leo, & Anthemius *in l. ex morte* 9 *C. eod. titulo*: adeout ex morte cujuſcunque conjugis eandem partem tam vir ex dote præmortuæ uxoris, quam mulier ex
ante

ante nuptias donatione premortui viri lucraretur ſive præmiſſa, ſive non præmiſſa pactione. Et ſi pactum contra feciſſent, infirmum atque invalidum illud eſse ſanxerunt iidem Imperatores. Verum Juſtinianus poſtea maluit majorem inæqualis lucri portionem reduci ad minorem æqualem debere, ſicque utile per inutile non vitiari, *Nov. 22 cap. 20, & l. 10 C. de pactis conventis*.

In Regno ex pacto novi uſus Capuani, & Nidi olim pro antefato conſtituebatur medietas dotium: ſecundum vero vetuſtum morem Magnatum tertia pars dotium, & dicebatur *tertiaria*, quemadmodum teſtatur Camill. Salernus in addit. ad Neap. conſ. *ſi quis vel ſi qua num.* 195. Præterea ſecundum utrunque morem & novum, & antiquum mulier decedente viro lucrifaciebat filiis non exiſtentibus plenum antefati dominium, uſumfructum videlicet, ac proprietatem: filiis vero extantibus uſumfructum tantum. Verum a novo mos antiquus in hoc differebat, quod ubi deceſſiſset vir patre ſuo ſuperſtite, turbatoque naturæ ordine, vidua relicta lucrifaciebat ex antiquo more Magnatum medietatem conſtitutæ tertiariæ: atque integram, ſi poſt patrem ſuum maritus obiiſset. Novus autem Capuani, & Nidi uſus indiſcriminatim viduæ tribuebat integrum dotarium, ſive ante, ſive poſt obitum ſoceri maritus deceſſiſset, Camillus Salernus *ibid.*

5 Uterque tamen uſus omnino exolevit poſt novam antefati & donativi taxam jure municipali præſcriptam. Quandoquidem fideliſſima hæc Civitas Neapolitana, Barones, & Regnum inter alia poſtularunt ſuperiori ſeculo gratiam reformaudi donativa & antefata juxta formam concluſionis confectæ per deputatos omnium Platearum ejuſdem Civitatis. Quod ſcilicet pro dotibus ducatorū quatuor milliū & infra ante-

antefatum primarum nuptiarum ſit tertia pars dotis, &donativum octo aurei pro ſingulis centenis. Si ad decem millia dos aſcenderit, antefatum ſit quarta pars dotium, ſeu ratio ducatorum 25 pro quolibet centenario: & donativum 6 pro 100. Pro dote ducatorum viginti millium & infra, antefatum ſit ratio 20 pro 100, ſeu quinta pars dotium, & donativum 5 pro 100. Pro dote ducatorum triginta millium & infra, antefatum ſit ad rationem ducatorum 15 pro 100, ſeu ſexta pars dotium cum duobus tertiis: & donativum 4 pro 100. Denique pro dotibus triginta millia ducatorum excedentibus antefati quantitas remittatur taxanda partium conventionibus, dummodo non exuperet modo dictã rationem quindecim pro centum; & donativum quatuor pro centum. Quod hujuſmodi quantitates debeantur integræ virginibus nuptis: viduis autem ſecundo nubentibus tribuantur pro medietate. Quod antefatum poſt mortem uxoris ſive relictis, ſive non relictis filiis redeat ad heredes viri. Atque donativum, quod vulgo appellatur *per lacci e ſpille*, nequeat ſtante pactione poſtulari per viduam relictam, niſi pro ultimo ſolum anno, quo vir mortem oppetierit, dummodo heredes viri ſolutionem ejuſdem anni a defuncto impletam fuiſse non oſtenderint. Exinde Dux Oxunæ Prorex talibus petitionibus annuens edidit Prag. *un. hoc tit. de donat. propter nuptias, ſive quarta, vel antefato, & aliis donativis* in Regio Collaterali Conſilio die 30 Decembris 1617, qua ſancivit præſcriptam concluſionem ad unguem ſervandam eſſe in omnibus, irritando pactiones, promiſſioneſque aliter initas tam directe, quam indirecte: pœna privationis officii, aliaque corporali ad arbitrium comminata in Notarios, & Judices ad contractus aliter ſtipulantes.

6 Iſta

6 Iſta Pragmatica in viridi eſt obſervantia, ex qua minorem anteſati quantitatem contrahentibus paciſci permittitur, non vero majorem tam futuris ſponſis, quam conjugibus ex traditis ſupra *num.* 3. Juſtinus autem Imperator *in l. ſi conſtante* 18 *C. de donat. ante nuptias* indulſerat conſenſui partium communi tam dotem, quam donationem propter nuptias de novo augere, vel conſtituere, pactaque nova inire, vel vetera prorogare & moderari conſtante quoque matrimonio: nec obſtare cenſuit in hujuſmodi munificentiis interdictas eſſe liberalitates conjugum tempore nuptiarum. Quod Juſtiniano etiam placuit *in l. cum multa* 20 *C. eod. tit.*

7 Præterea exploratum in jure eſt medietatem lucri anteſati conſueviſſe mulieri deoſculatæ, neque a viro carnaliter cognitæ aſſignari *l. ſi a ſponſo C. de donat. ante nuptias*, ut deciſum refert de Franch. *dec.* 305, & alii apud Vinc. Brilla in dicta conſ. *quartam autem tit. de jure quartæ t.* 9 *cap.* 1. *n.* 42.

8 Et ubi conſtitutum non ſit, nec promiſſum anteſatum; adhuc ipſo jure intelligitur conſtitutum ad formam expoſitæ Pragmaticæ: propterea quod actionem illud petendi jus ipſum tribuit mulieri inſpecta dotis quantitate *Novell.* 19 *cap.* 2. Quin etiam vir conſtante matrimonio compelli valet ad anteſatum uxori conſtituendum, Grammatic. *dec.* 97: ad effe-
9 ctum videlicet acquirendi hypothecam a die promiſſionis, de qua plenius infra *tit. ult. de action.* Præterquam quod in civitate, ac diſtrictu Neapolis (ex conſuet. *dos* 2 *ſub tit. de jure quartæ*) *dos, & quarta peti non poſſunt abſque inſtrumento dotali, quod Neapoli quartula nuncupatur.* Ex ſeq. inſuper conſuet. 3 *eod. tit. contra inſtrumentum dotale, confeſſionis videlicet vel receptionis dotium, probatio nulla*, ſcilicet extrinſeca, *admittitur, præterquam*

quam ſi mulier dotata decedens cum teſtamento illud, quod ſecundum conſuetudinem Neapolitanam relinquere poteſt, in ipſa ultima voluntate reliquerit, & probetur illud eſſe ſolutum. Verum amiſſo inſtrumento dotali admittitur probatio per teſtes, Afflict. *dec.* 274. Et contra inſtrumentum alio inſtrumento publico excipitur, de Franch. *deciſ.* 367.

10 Pater filio dignas nuptias contrahenti facere debet donationem propter nuptias, vel pro dote cavere, ſi filius alia non habeat bona. Dos tamen ipſimet patri perſolvi debet. Ut enim Marcianus Jureconſultus tradit *l. capite* 19 *D. de ritu nuptiarum*: *capite trigeſimo quinto legis Juliæ, qui liberos, quos habent in poteſtate, injuria prohibuerint ducere uxores, vel nubere, vel qui dotem dare non volunt, ex conſtitutione Severi & Antonini per Proconſules, Præſideſque Provinciarum coguntur in matrimonium collocare, & dotare: prohibere autem videtur & qui conditionem non quærit.*

11 Sed quæ nihil ex dote conſcripta præſtitit, nihil omnino viro mortuo præcipiet ex donatione. Et quæ minus quam profeſſa eſt, dedit, pro quantitate præſtita lucrum ſentiat Auth. *ſed quæ nihil C. de pactis conventis, Novell.* 2 *cap. ult.* Afflict. *deciſ.* 242 *num.* 2.

12 Si tamen pars mulieris dotem ſolvere ſit parata, cum ex diverſo maritus accipere recuſet, vel oblatam realiter, vel depoſitam pecuniam viro ipſi denunciatam, tunc nequaquã declinari poterit donationis exactio. *Qui enim dare voluit, dum perceptionem recuſat is, qui ſuſcipere poſtulatur, proximus eſt danti, Nov.* 91 *cap.* 2. Paria quippe ſunt dediſse & obtuliſse legitime *l. acceptam* 19 *C. de uſuris*. Idemque dicendum, ſi vir dotem exigere neglexerit.

xerit, poſtquam veniſset dies ſolutionis, Cap. Latr. *conſult.* 124 *num.* 47, *&* 48.
13 At ſi per dilationem moroſi promiſsoris dos viro non detur, etiam donatio prorſus denegetur ex Auth. *dos data C. de donat. ante nuptias*, & *Novell.* 91. *cap.* 2. Quotiens ſcilicet marito imputari nequit cur dotem non exegerit a promiſsore moroſo. Si tamen ſponſus, vel vir dilationem ſolvendæ dotis dederit, atque interea deceſserit, antefatum tunc mulier lucrabitur, dote licet non ſoluta, Afflict. *dec.*333: quum tempus in ſtipulationibus generatim, & in conſtituenda dote ſpeciatim promiſsoris, & mulieris gratia adjiciatur juxta Ulpiani regulam in *l. cum tempus.* 17 *D. de reg. jur.*
14 Pari paſsu ambulant dos & antefatum, ut noſtrates Doctores poſt Napodanum loquuntur, & Juſtinianus præſcripſit in *l. ult.* §. 2 *C. de donat. ante nupt.* Profecto jus antefati regitur jure dotium tanquam dotis augmentum & acceſsorium, quod ſequi debet naturam principalis ex vulgato axiomate. Eo vel maxime quod æqualitas dotis, & donationis propter nuptias eſt ſervanda non tantum in lucris exinde provenientibus, ſed etiam in præſtatione & conſtitutione utriuſque, Auth. *æqualitas C.de pactis conventis*, *&* *Nov.* 97 *cap.* 1. Idcirco eaſdem anti-
15 dos, ſeu antefatum pactiones admittit, quas dos recipit tam expreſsas, quam tacitas *Nov.*22, & 47. Quemadmodum ſua culpa divertens mulier dote, ſic viciſſim antidote maritus mulctabitur *l. conſenſu* 8 *C. de repud.* Et quemadmodum dos alienari, vel oppignerari non poteſt a viro ne uxore quidem conſentiente; ita neque antidos *Nov.* 61. Similiter Præſ. de Franch. deciſum refert in S.R.Conſilio, mulierem, quæ interceſſit ante contractas nuptias pro filio in favorem nurus ex antefati cauſsa per filium uxori ſuæ
con-

conſtituti, Vellejani exceptione minime juvari. Itidem feudatarii tertiam feudorum partem tam pro dotario uxoris, quam pro ſororum dotibus obligare poſsunt ex conſtit. Regni incip. *mulier tit. de dotar. conſtit.* & conſt. incip. *fratribus ob dotes tit. de fratribus oblig. partem feudi pro dotibus ſororum*.

16 Lis tamen ſub judice adhuc eſt, num pro antefato mulier privilegium potioritatis obtineat, quemadmodum pro dote, de quo infra diſſeremus *cap. ult.* Nam Regens Merlinus *controv. forenſ. cent.* 1 *cap.* 26 *in fin.* affirmativam tuetur ſententiam. Regens vero Capicius Latro *conſ.* 117 negativam, quoniam æquius eſt mulieris damno ſuccurrere, quam lucro favere ex *l. ult. C. comm. de leg.* 1, *& l. Arrianus D. de obl. & act.* Regens de Roſa *in praxi civ. cap.* 1 *num.* 74.

17 Ex Neapolitana conſ. *quartam autem de jure quartæ* lucratur vidua cum liberis fructus tantummodo quartæ a viro ſibi conſtitutæ: & ſine liberis relicta proprietatem. Quos, vel quam poteſt ea ſine juſſu Judicis auctoritate propria ex bonis viri, deducto ære alieno, capere & apprehendere infra annum a morte viri, ſi liberos non habuerit, computandum: & a die diſceſsus ſui de domo mariti, ſi liberos habuerit. Et quotiens contingat mulierem viduam, cui maritus quartam conſtituerit, liberis ex communi matrimonio non exiſtentibus eandem quartam in plena proprietate habere, ea volens poterit cum heredibus mariti bona in duas æquales partes dividere, quarum alteram heredes ipſi præeligant, alteram ſubdividant in duas quoque medietates, ex quibus unam mulier præeliget ex Neap. conſ. *ſi tamen contingat* 2 *ſub tit. de communi dividundo*.

18 Sponſalitia largitas complectitur veſtes, mundum muliebrem, gemmas, annulos, inaures, aliaſque res a

ſponſo

ſponſo largiri ſolitas, ut ſponſa honeſtius ad ipſum ducatur. De cujus taxa nil cautum jure tam communi, quam municipali, quæ propterea partium arbitrio & voluntati relinquitur (1). Quicquid autem a ſponſo traditum ſit futuræ uxori, præſumitur eſſe largitas ſponſaliorum ſub conditione futurarum nuptiarum, adeout matrimonionon ſequuto redeat ad donantem, niſi per donatorem ipſum ſteterit, quominus matrimonium ſequatur *l. cum veterum* 15 *C. de donat. ante nupt.*, *&* *l. ſi Præſidi* 2 *C. eod.tit.*

19 Quod ſi ante nuptias ſponſum, vel ſponſam mori contigerit, quotiens tempore ſponſaliorum ſponſam fuiſſet ſponſus oſculatus, dimidiam partem rerum donatione acceptarum ſponſa lucratur: alteram reſtituit ſponſi heredibus ſponſa ſuperſtes; vel ſponſo ſuperſtiti heredes ſponſæ. Oſculo vero non interveniente omne datum repetitur ac reſtituitur, quum tota infirmetur donatio. E contrario ſi ſponſa donationis titulo (quod raro accidit) fuerit aliquid ſponſo largita, ſive intervenerit oſculum,nec ne; omni donatione infirmata res integræ ad donatricem, ejuſve heredes transferuntur, quemadmodum reſcripſit Imp. Conſtantinus in *l. ſi a ſponſo* 16 *C. de donat. ante nupt.*

20 Arrhæ ſponſaliorum nomine datæ, ſi interea ſponſus,

---

(1) *De* jure Longobardorum ſponſalitia largitas appellabatur *meſſium*, vel *meta*, & *metamephium in l. 2 de his quæ a vir. in mulier. dant. in ll. Longobard.* & apud Maxill. in *conſ.* 1 *de donat.inter vir. & uxor. num. 26*, *& 27*. Inter Barenſes ex conſuetudine nobilium pro *quarta* & *meſſio* debentur viduæ mulieri triginta unciæ. Inter populares autem ex antiquis Barii conſuetudinibus meſſium eſt unus auguſtalis pro qualibet uncia dotis, & morgincap eſt quarta pars bonorum mariti, ut tradit Maxilla *ibid.num.* 28.

ſus, vel ſponſa deceſſerit, reſtitui debent, niſi cauſsam, ut nuptiæ non celebrarentur, ipſa defuncta perſona dederit *l. arrhis* 3 *C. de ſponſalibus*, *&* *arrhis ſponſalitiis, & proxeneticis*. Mulier vero, quæ contractis ſponſalibus nuptias inire non vult, ſi ætatem legitimam 25 annorum de jure communi, & 18 de jure Regni exceſserit, acceptas arrhas cogitur duplicatas reſtituere: ſi autem minoris eſt ætatis, quod accepit ſolummodo reſtituet *l. mulier* 5 *C. eod. tit.* Quotiens tamen juſta cauſsa pœnitentiæ interceſserit, mulier ætate major a ſimplici pœna excuſatur; niſi ſciens prudens cum turpi, prodigo, impotenti ſponſalia contraxerit; tunc enim ſibi debet imputare.

21 Ex Neap. conſuet. *ſi qua moriens* ſub tit. *de muliere habente filios*, (cujus verba tranſcripta ſunt in ſuperiori cap. XI n. 30) mulier nupta poteſt de parato ad uſum quotidianum, ſcilicet de omnibus veſtibus, & monilibus, & gemmis, & pannis quotidianis diſponere. Præſumuntur quippe donatæ veſtes a ſponſo juxta vetuſtum morem Sedilium Capuani & Nidi, niſi proteſtetur expreſse in actu traditionis eaſdem minime donare velle, quemadmodum proteſtari conſueſcunt fere omnes, & conſueverunt ab ævo uſque Capicii, ut ipſe ſcribit ad dictam conſuet. *ver. nota ex iſta gl.*

22 Quod vero a conſanguineis ſponſi donatur, ſponſæ non libere quæritur: nam ex facultatibus ſponſi promanare cenſetur, adeout ad filios ejuſdem matrimonii tantum pertineat, excluſis aliis, quos ex ſecundis nuptiis mulier genuerit, de Franch. *dec.* 595. Hoc igitur caſu locum obtinebit diſpoſitio *l. fœminæ C. de ſecund. nupt.* de qua in præcedenti cap. XI n. 37.

CAP.

CAP. XIV.

SOLUTO MATRIMONIO QUEMADMODUM DOS PETATUR.

Ex lib. 24 Digeſt. tit. 3, & lib. 5 Cod. tit. 18.

1 *Mulieri tam profectitia, quam adventitia dos debet ſoluto matrimonio reſtitui.*

2 *Quæ Romano jure de profectitia dote diſponit.*

3 *Facto quoad thorum divortio dos etiam reſtituitur.*

4 *Itemque ob captivitatem, vel ſervitutem, vel deportationem, vel forjudicationem viri.*

5 *Mobilia dotis inæſtimata poſt annum, immobilia ſtatim ſoluto matrimonio ſunt reddenda.*

6 *Æſtimata quoque poſt annum.*

7 *Sed nulla dilatio conceditur viro, qui cauſſam divortio dedit.*

8 *Neap. conſuet. dilationem quoque annalem in reddendis dotibus admittunt, ſed nonnulla diverſimode diſponunt de corredo, alimentis maternis, interuſuriis, rebuſque æſtimatis extantibus.*

9 *Inæſtimatæ res, quæ uſu conſumuntur, non in ſpecie, ſed ex eodem genere, eademque bonitate redduntur conſimiles.*

10 *In quibus attenditur pretium temporis, & loci, in quo ſit reſtitutio.*

11 *Pariter mutata pecunia valor ejuſdem temporis reſtitutionis debetur: niſi quantitas monetæ imaginariæ tradita fuerit.*

12 *Expenſæ neceſſariæ, & utiles, niſi modicæ fuerint, marito reficiuntur, & voluptuariæ detrahuntur ſine prioris ſpeciei læſione: nec non*

funeris,

ſu eris, & ultimæ infirmitatis.

13 *Et viciſſim detrimenta & damna dotis inæſtimatæ maritus reficiet, ſi in culpa, vel dolo fuerit.*

14 *In rebus vero æſtimatis marito æque detrimenta, atque augmenta cedunt, qui pretium reddere cogitur, non rerum ſpecies, niſi eas reddendas ſpeciatim convenerit.*

15 *Quod ſi læſio in æſtimatione inciderit, tam vir læſus pretium juſtum reddet, quam mulier læſa illud idem petet.*

16 *Partus ancillarum dotalium mulieri una cum ancillis redduntur, aliter quam partus pecorum.*

17 *Quemadmodum una cum dote fructus dotales a die ſoluti conjugii.*

18 *Non reſtituitur quandoque dos ex pacto.*

19 *Aut ſi promiſſa, ſed non ſoluta fuerit.*

20 *Aut ſi perierit ſine culpa viri.*

21 *Aut inops fuerit maritus.*

22 *Aut mulier injuſtum repudium viro miſerit.*

23 *Aut adulterium patraverit, aliamve cauſſam divortio dederit.*

24 *Tandem ex conſuetudine locorum dos pro medietate reſtituitur, ſi vir matrimonium conſummaverit.*

QUum ſuperiori cap. XI ſat expoſitum ſit jus competens tam dotantibus, quam liberis ſuper dotibus vel profectitiis, vel adventitiis mulierum ſuperſtite viro decedentium ſive ab inteſtato, ſive cum teſtamento; ſupereſt mox dicere potiſſimum quemadmodum ſoluto matrimonio dos mulieri ſuperſtiti, ejuſque heredibus ſucceſſive debeat reſtitui.

1 Soluto quidem matrimonio ſolvi mulieri dos debet,

bet, ſi ſui juris mulier eſt, ut docuit Ulp. *in l. 2 D. hoc tit.* tam ſi profectitia, quam ſi adventitia dos fuerit conſtituta ſine pacto regreſſus. Non enim
2 ſicut mulieris dos eſt, ita patris eſſe dici poteſt *l. patris 71 D. de evict.* Mulier hinc emancipata, ſuique juris de profectitia dote, quam ſibi redditam accepiſſet ab heredibus viri, libere diſponit Romano jure, eamque ad heredes ipſius potius, quam ad patrem ſuum tranſmittit: quamvis ipſamet filia in matrimonio defuncta vir ſuperſtes patri dotanti, ejuſque heredibus profectitiam dotem reddere debeat, ut liquet *ex l. filiæ meæ 59 D. hoc eod. tit.* Ubi quum filiæ emancipatæ et ægre vir in hoc repudium miſiſſet ut mortua ea, dotem potius heredibus ejus, quam patri redderet; Sabinus, & Gajus cenſuerunt patri utile ejus dotis reciperandæ judicium dandum eſſe. Quoniam fraus divortii non debet patri nocere, cui magis, quam heredibus filiæ extraneis Prætorem ſuccurrere oportet *l. ſi filia 5 D. de divortiis*. Et conformiter Pomponius *in l. ſi ab hoſtibus 9 D. eod.* reſpondit profectitiam dotem filiæ nuptæ, quæ in captivitate deceſſiſſet, perinde ad patrem reverti debere, ac ſi nupta deceſſiſset; etiamſi in poteſtate non fuiſset patris, quæ per captivitatem diſſolvebatur: quia per legem Corneliam tunc fingitur filia mortua, quum ab hoſtibus capta eſt *l. 12 D. qui teſtam. fac. poſſ. & l. 28 D. de vulgari*. Quumque Paullus *in l. pater 71 D. de evict.* docuerit *uno caſu* ad patrem regredi poſſe dotem filiæ emancipatæ, videtur ex adductis Pomponii, Sabini, & Gaji reſponſis iſtiuſmodi caſus eſſe mors filiæ emancipatæ conſtante matrimonio contingens vel reapſe, vel fictione juris poſt captivitatem, & fraudulentum divortium: licet plurimi Interpretes cum Fabro, quis ille unus caſus ſit, non adhuc inveniſſe

affirmaverint. Quod ſi in patris poteſtate eſt mulier, & dos ab eo profecta ſit, communis & patris, & filiæ dos eſt, adeo ut in ea exigenda utriuſque voluntas exquiratur, & pater non aliter quam ex voluntate filiæ vel expreſſe conſentientis, vel ſaltem non contradicentis eandem petere poſſit *dict. l. 2, & 3 D. hoc tit.* Denegatur quippe actio patri, quotiens filia diſsentiat *l. Titia 39 D. eod.*

3 Verbum *ſoluto matrimonio* & divortium, & mortem continet, ut ſenſit Paullus *in l. cum quærebatur 240 D. de verb. ſignific.* Divortium etiam voluntarium, & communi conſenſu, ſeu *bona gratia* inter Quirites ante legem evangelicam dirimebat matrimonium,& non modo ex gravioribus adulterii, inſidiarum, ſacrilegii cauſſis; verum etiam ex *friguſculo*, ſeu cauſsa maxime frivola, levique jurgio, quo amor conjugalis refrigeſcebat *l. cum hic ſtatus 32 § ſi divortium 10 D. de donat. int. vir.& uxor. l. ſi conſenſu C. de repudiis*. Secus vero poſt novam Domini legem, quæ divortium *quoad vinculum* & fœdus conjugii ſacramentalis nonniſi ex impedimentis canonicis dirimentibus auctoritate eccleſiaſtica fieri permittit,de quo *in lib.2 Inſt.can.ſub tit. de Sacram. matrim.* Nihilominus divortium *quoad thorum* conjugale, rato manente connubio, locum tribuit reſtitutioni dotium, quotieſcũque vir culpoſus cauſſam dederit.Quum enim mulieres pro aliqua licita cauſſa a propriis viris fuerint ſeparatæ, totam dotem præcipitur ipſis reddi *in cap.1 de donat.inter vir.& uxor.* Quare Præſes de Franch. *dec.* 244 opinatur reſtitui dotem mulieri debere facta thori ſeparatione ob viri ſævitiam. Idque firmatum eſt duabus Regii Conſilii deciſionibus relatis per Gizz. ad Cap. Latr. *obſerv.* 49 *num.* 12, & Car. Anton. de Luca *ad dict. dec.* 244 *nu.*1, & 2. Textus enim canonicus *cit.cap.* generatim

generatim loquitur de divortio ob aliquam licitam cauſſam: quicquid alii ſenſerint denegantes reſtitutionem dotium, non minus quam anteſati lucrum in divortio ob viri crudelitatem, vel lepram: eamque admittentes in ſola propter adulterium ſeparatione thori, cit. de Luca *ibid.* Secus tamen dicendum erit, ſi culpa mulieris factum ſit divortium, ut infra *n.22.*

4 Mors itidem conjugis nedum naturalis, verum etiam civilis (puta per captivitatem, vel ſervitutem) contractum matrimonii ſimplex olim dirimebat *l. 1, & ſeq. D. de divortiis, & l. uxor C. de repudiis.* Hodie tamen vera ſolummodo & naturalis mors Sacramenti conjugalis vinculum diſsolvit, Auth. *hodie C. de repud.* Nihilominus mulier de æquitate dotem ſtatim petet a Fiſco poſt viri ſui deportationem, vel aquæ, & ignis interdictionem, quamvis neutra matrimonium diſſolvat *l. 1 C. de repudiis*. Quoniam vero forjudicatio per Regni *conſt.* quæ incipit *forjudicatorum* æquiparatur morti naturali, Napodan. *in conſ. ſi moriatur de ſucceſſ. ab inteſt.* verbo *moriatur*; mulier ſuper bonis viri forjudicati, qui pro mortuo habetur in Regno, obtinet dotium reſtitutionem, una & anteſatum, ex conſt. *pœna carere volentes tit. de uxor. forjud.* Napod. *in conſ. viro mortuo de jur. dot.* ver. *mortuo n.53* de Franch. *dec.689 n.5.* Quemadmodum & filii obtinent legitimam damnati patris bonorum, quæ publicanda fuerint *l. fin. §.1 D. de bon. damnator.*

5 Quod ad modum reſtitutionis. Dos ſi pondere, numero, menſura contineretur (in iis videlicet rebus, quæ dari nominatim ad pondus, numerum, & menſuram ſolent) annua, bima, trima die reddebatur; niſi ſi, ut præſens redderetur, conventum eſset: reliquæ dotes ſtatim reddebantur, Ulpian. *in fragm. tit. 6 §. 8.* Juſtiniano autem placuit non annua, bi-

ma, trima die fieri exactionem dotis : ſed intra annum a die ſoluti matrimonii computandum omnimodo res mobiles, vel ſemoventes *inæſtimatas* reſtitui eadem in ſpecie debere: prædia vero, & immobilia omnia, quæ ſolo continentur, illico poſt conjugii diſsolutionem reddi ſine ulla temporis dilatione *l. unic. §. exactio C. de rei uxoriæ actione*. Ad

6 *æſtimatas* præterea res reſtituendas lex eadem Juſtinianæa annalem tribuit dilationem. Si itaque vir prædia, ceteraque bona æſtimata in dotem accipiens non converſit, ut ſoluto matrimonio eadem in ſpecie reſtituerentur, retinebit eas, ſi pecuniam offerat petenti reſtitutionem *l. quotiens 5 C. de jur. dot.* At e contrario res inæſtimatas eadem in ſpecie redditurus eſt.

7 Verum facto ob culpam viri divortio non gaudere ipſum annali dilatione, ſed illico debere dotem reſtituere, tenet Card. de Luca *in ſumm. dot. nu.* 421, Cavalcan. *dec.* 18 *num.* 28 *part.* 2, et Merlin. *cent.* 2 *controv.* 93 *num.* 1[illegible], laudati per Car. Ant. de Luca ad de Franch. *obſerv.* 244 *num.* 1.

8 Intra Neapolis diſtrictum quoque infra anni ſpatium tenentur heredes viri dotem in pecunia conſiſtentem, et valorem corredi (a) in auro, argento, et pernis uxori ſuperſtiti reſtituere *ex conſuet. viro mortuo de jur. dot.* Reliqua vero bona corredi apparentis, ſive exiſtentis, ſicut et bona ſtabilia ſtatim reſtituenda ſunt. Quinimo auctoritate propria poteſt ea mulier quandocunque capere *ex conſ. ita quod eod.*

[a] *Corredum* a verbo *corradere* deductum videtur, quod ſignificat per uſum conſumere & deminuere, quia uſu conſumtum & corraſum ut extat, reſtituitur. Vel a verbo *redire*, quia una cum dote redit ad mulierem, vel dotantem, Napodan. *ad conſ.* 1[illegible] *jur. dot.* ver. *corredum*.

eod. tit. Intereaque, ſi liberi communes ſint, matrem viduam alere debent primis ſex menſibus poſt mortem patris: quibus elapſis vel alimenta, vel ad ipſius viduæ arbitrium ei pro alimentis tarenum unum pro qualibet dotis uncia præſtabunt per ſex menſes ſuccedaneos, totumque tempus, quo dotem reddere diſtulerint. Alii vero heredes extranei prioribus ſex menſibus immunes ſunt ab ejuſmodi onere, et ſolum tenentur perſolvere tarenum poſterioribus ſex menſibus, et ultra uſque ad dotium reſtitutionem, *ex conſ. heredeſque mariti eod. tit.* Quam conſuetudinem indiſtincte ſervari teſtatur Præſ. de Franch. *deciſ.* 217 *num.* 1 excepta ſolum quantitate præſtationis tareni, quia elapſis primis ſex menſibus decurrit dotale interuſurium, fitque ejus liquidatio ad rationem ſupra expenſam *cap.* 7 *num.* 14. Muliere tamen invita poſt annum a morte viri dilapſum nequeunt heredes dotium reſtitutionem differre ob conſuetudinarii præſtationem interuſurii, *ex conſ. ita quod eod. tit.* Si autem mortua matre ſuperſint filii, qui nolint, vel nequeant cum patre cohabitare, vel eos pater ſecum retinere nolit, ipſis pater incontinenti reddat poſſeſſiones tam æſtimatas, quam inæſtimatas maternarum dotium, et corredum ſicuti extat, uſu conſumtum. Pecuniam vero dotalem, et valorem corredi in auro, argento, et pernis, ſi non extet, infra annum. Idemque in aliis mulierum ſucceſſoribus obſervabitur *ex conſ. ſi mulier* 1 *de jure dot.* Quæ ideo diſſonat a jure communi, quia res extantes æſtimatas ſine ulla temporis dilatione reſtitui cavet, cum leges Romanæ dilationem unius anni largiantur ad dotem æſtimatam reddendum, ſive extent res, ſive non extent (b).

 Quæ-

[b] Quid pro reſtituendis dotibus caverint Barenſes conſ., traditum eſt ſuperiori cap. 31. ad n. 37.

9 Quænam res in dotem datæ habendæ ſint pro æſtimatis, nec ne, ſat expoſitum eſt ſupra cap. 1 nu. 12 ad 15. Heic tamen advertere par eſt, ubi dos inæſtimata conſiſtat in rebus minime conſervabilibus, puta oleo, tritico, vino, quæ uſu conſumuntur, atque in ſpecie ob id reddi non poſſunt; quia (ut verbis Ulpiani utar *in l.* 2 §. 2 *D. de reb. cred.*) in genere ſuo magis functionem recipiunt per ſolutionem, quam in ſpecie: ſi partes convenerint non pretium eſſe reddendum, debet eadem bonitate ſeu qualitate reſtitui conſimilis quantitas, non autem ex eodem genere res deterior: *quia aliud pro alio invito creditori ſolvi non poteſt l.* 2 §. 1 *D. de rebus creditis*.

10 Si tamen a tempore ſolutæ dotis pretium ejuſmodi rerum excrevit, vel deminutum ſit; æſtimatio facienda eſt temporis, & loci, in quo fit reſtitutio, non temporis, quo traditæ in dotem fuerunt, niſi aliter convenerint, ideoque commodum, & incommodum intermedii temporis viro cedit juxta probabiliorem ſententiam, quam tenet Card. de Luc. *in ſumm. dot. n.* 426. Eaque firmatur exemplo mutui. Quum enim quæſitum eſſet, cujus temporis æſtimatio mutui fieret? Sabinus reſpondit: ſi dictum eſſet, quo tempore redderetur, quanti tunc fuiſſet: ſi non, *quanti tunc quum petitum eſſet*. Idemque interrogatus, cujus loci pretium ſequi oporteat? Reſpondit, ſi conveniſſet, ut certo loco redderetur, quanti eo loco eſſet: ſi dictum non eſset, *quanti ubi eſſet petitum l. vinum* 22 *D. de rebus creditis*.

11 Similiter ubi poſt traditam dotis pecuniam numeratam, vel poſt factam dotis æſtimationem contigerit monetæ mutatio circa bonitatem intrinſecam, ſeu materiam; valor temporis, quo dos reddenda eſt, attenditur, non contractus dotalis, *gl.* Gothofredi

ad

ad l. 3 *D. eod.* ver. *deteriorem rem*. Secus quam ſi ducatos, florenos, vel uncias auri, aut liras, ceteraſve imaginarias, & minime uſuales monetas acceperit, ac promiſerit ſponſus pro reddendis dotibus: tunc enim nulla mutationis ratio haberi debet, ſed contractus initium ſpectari, quoniam in præſens, eumque certum pretium veriſimilius conſenſiſse præſumuntur contrahentes, quam in futurum & incertum: quemadmodum legati mancipii æſtimatio à tempore facti teſtamenti, non mortis teſtatoris ducitur *l. ſi ita eſſet* 7 *D. de aur. & arg. leg.* *l.* 51, *&* 94 *D. de legat.* 3. Nanque creditorem (1) non eſse cogendum *in aliam formam nummos* accipere, ſi ex ea re damnum aliquod paſsurus ſit, reſpondit Paullus *l.* 99 *D. de ſolut.* Nec creditoris detrimentum eſse, quod edicto publico Præſes pecuniam, qua Reſpublica utebatur, mutaverit in æroſam (hoc eſt habentem plus æris, quam ante): & ſolventem reprobos nummos creditori, minime liberari cenſuit Ulpianus *in l. eleganter* 24 §. *qui reprobos D. de pignorat. act.* Quare antiquam florenorum æſtimationem eſse reddendam docuit poſt Bart. Afflictus *dec.* 90 *num.* 4.

12 Tametſi autem inæſtimata dos eadem in. ſpecie reſtitui debet, viro nihilominus competit actio petendi refectionem expenſarum, & mulieri viciſſim compenſationem detrimentorum. *Impenſæ ipſo jure dotem minuunt: quod non ad ſingula dotis corpora, ſed ad univerſitatem ejuſdem dotis erit referendum*, docuit Ulpianus *in l.* 1 *D. de dot. prælег.* Quoniam non ex ſingulis rebus dotalibus rata expen-

(1) Erronea quippe eſt littera textus, quæ pro verbo creditorem exhibet *debitorem*, Hotmann. *illuſtr. qu. cap.* 15

penſarum præcipua capietur, ſed æſtimatio tantum de manu mulieris, cui univerſa dotis corpora integre debent reſtitui. Impenſarum ſpecies ſunt tres: aut enim neceſſariæ dicuntur, aut utiles, aut voluptuoſæ. *Neceſſariæ* ſunt, quibus non factis dos deterior futura eſt: veluti ſi quis ruinoſas ædes refecerit. *Utiles* ſunt, quibus non factis quidem deterior dos non fuerit: factis autem fructuoſior dos effecta eſt: veluti ſi vineta, & oliveta fecerit: *Voluptuoſæ* ſunt, quibus neque omiſſis deterior dos fieret: neque factis fructuoſior effecta eſt, quod evenit in viridariis, & pictoriis, ſimilibuſque rebus, Ulp. *in fragm. tit.* 6 §. 14, *& ſeq.* Impenſas non tantum neceſſarias, ſed etiam utiles præſtandas a muliere in beneficium viri, qui eas fecerit in fundo dotali, ejuſve heredis, Javolenus exiſtimavit *in l. vir* 18, *ſeu fin. D. de fundo dotali*. Et ſi convenerit, ne ob impenſas neceſſarias ageretur, pactum non eſt ſervandum, quia tales impenſæ dotem ipſo jure minuunt, *l. illud convenire* 5 §. 2 *D. de pact. dotalibus*. Igitur *neceſſariæ* impenſæ dotis minuunt quantitatem: *utiles* etiam reficiuntur vel actione mandati, ſi mulier eiſdem conſenſerit; vel negotiorum geſtorum actione, ſi mulieris voluntas non intercesſerit. Quod ſi *voluptuariæ* ſint licet ex voluntate mulieris expenſæ, deductio operis, quod fecit, ſine læſione tamen prioris ſpeciei, marito relinquatur, *l. un.* §. *taceat C. de rei uxor. act.* Modicas tamen impenſas minime deduci conſtat, Affict. *dec.* 359 *n.*2. Quoniam ex Paulli reſponſo *in l. omnino* 12 *D. de impenſ. in res dotal. fact.* omnino *modicas* impenſas non debet arbiter curare: alioquin negotiorum geſtorū potius, quam de dote judicium videtur. Funeris, & ultimæ infirmitatis expenſæ quoque detrahuntur *l. Celſus* 22 *D. de relig. & ſumt funer.* Sed interdum is, qui ſumtum in funus fecit, ſumtum non recipit, ſi pietatis gratia

gratia fecit:non hoc animo quaſi recepturus ſumtum, quod fecit. Oportebit igitur teſtari quem, quo animo ſuneratːne poſtea patiatur quæſtionem *l. etſi quis* 14 §.7 *D.eod.*

13 E contrario, ſi dos inæſtimata perierit, vel deminuta ſit, dolum & culpam præſtabit maritus *l. etiam* 18 §. 1 *D. ſoluto matrim.* Quem propterea (ut Paullus docuit *in l. ſi filiofam.* 25 *D. eod. tit.* §. 1) in reddenda dote de dolo malo & culpa cavere oportet. Et Pomponius ait, maritum non poſſe paciſci, ut dolum ſolummodo in dotem præſtet, videlicet propter utilitatem nubentium: quamvis paciſci poſſit, ut ſit dos periculo mulieris; & per contrarium, ut ea dos, quæ periculo mulieris eſt, ſit periculo mariti *l. Pomponius* 6 *D. de pact. dotal.* Quod ſi res dotales deteriores factæ ſint, poſtquam vir in reddenda dote moram fecerit, omnimodo detrimentum ipſe præſtabit. Ceterum ſi circa interitum rei dotalis dolus malus (inquit Pomponius *in fine cit. l.* 18) & culpa mariti abſit; actiones ſolas, quas eo nomine maritus habet, præſtandas mulieri, veluti furti, vel damni, injuriæ. Hoc autem locum obtinet in dote inæſtimata, & fundo vere dotali.

14 Cum vero dotem te æſtimatam accepiſſe profitearis, quis dubitet æſtimationem a te mulieri deberi, quum periculo tuo res deteriores fiant, vel augmenta lucro tuo recipiantur? *l. cum dotem* 10 *C. de jure dot.* Et Hermogeniano *in l.* 51 *D. ſolut. matrim.* viſæ ſunt & æſtimatæ res uſu etiam mulieris periculo mariti deteriores effici. At vero Scævola *in l.* 50 *D. eod.* reſpondit res æſtimatas, quæ extant, ſi neque volente, neque ratum habente muliere, veniſsent, perinde reddendas mulieri, atque ſi nulla æſtimatio interveniſſet, quoties pactum interceſſit, *ut ex quacunque cauſſa dos reddi deberet, ipſæ res reſtituerentur habita ratione augmenti, & de-*

minu-

minutionis, *viri boni arbitratu*: *quæ vero non extarent*, *ab initio æſtimatio earum* . Si enim conventum fuerit , ut reſtituantur ipſæmet æſtimatæ ſpecies , oportet ſervare pactionem: *quum in placitis ſpecierum reddendarum idcirco pretiorum nomen videatur annexum*, *ne ſi ſpecies aliqua deminuta fuiſſet* , *aut perdita* , *alio pretio*, *quam taxata fuerat*, *repoſceretur* , *l. ſi inter virum* 21 *C. de jure dot.*

15 Nihilominus tam marito , quam uxori in rei dotalis æſtimatione decepto ſuccurritur , quatenus Judex non amplius quam pretium juſtum reſtitui compellat, dummodo res dotales æſtimatæ adhuc exiſtant, quæ iterum æſtimari valeant: ſi tamen extinctæ ſint, pretium, quod dotali inſtrumento inditum eſt, conſiderabitur , *l. ſi circumſcripta* 6 *C. ſoluto matrim.*

16 Exinde dubium non eſt poſt æſtimationem dotis pactione , vel ſtipulatione interpoſita, ut ſi ipſæ res diſſoluto matrimonio extarent, uxori reddantur, & ancillas cum *partu* ex ſtipulatu judicio reſtitui oportet *ex l. dubium* 1 *C. ſoluto matrim.* Quoniam partus ancillæ non eſt in fructu *l.* 27 *D. de pet. hered. l.* 68 *D. de reivindic.* Secus quam partus pecorum dotalium, quos tanquam fructus maritus lucratur *l.* 20 *D. de jure dotium* , *& l. un.* §. 9 *C. de rei uxor. act.*

17 Fructus totius dotis mariti lucro cedere nonniſi pro oneribus matrimonii, exploratiſſimum eſt *ex l. pro oneribus* 20 *C. de jure dot.* Ceſſantibus idcirco matrimonii oneribus, ceſſat etiam jus eoſdem percipiendi. Fructuſque ultimi anni , quo conjugium ſolvi contingit , dividendi ſunt pro rata temporis , quo mulier in matrimonio fuit *ex cit. l. un.* §. 8 *C. de rei uxor. act. l.* 7 , *&* 8 *D. ſoluto matrim.* ubi Papinianus

pinianus tradit regulam proportionalem dividendi fructus vindemiæ in contingentiis adhibendam, & adeo ſuboſcuram, ut in illius intelligentia, & uſu adhuc varient Doctores, quam ideo moderabitur opportune prudens Judicis arbitrium, & æquitas. Si inter virum & uxorem convenit, ut extremi anni matrimonii fructus nondum percepti mulieris lucro fiant, hujuſmodi pactum valet, Scævola *in l. ſi inter* 31 *D. de pact. dotal.*

18 Reliquum eſt ut limitationes & caſus, in quibus reſtitutio dotis locum non obtinet, breviter exponantur. In primis nanque Paullus Jureconſultus *in l. ſi pater* 12 *D. de pact. dotalib.*, ſi pater dotem dederit, & pactus ſit, ut mortua in matrimonio filia, dos apud virum remaneret, putavit pactum ſervandum. Si tamen convenerit, ut quomodo diſſolutum ſit matrimonium, liberis intervenientibus dos apud virum remaneret, Papinianus reſpondit morte mariti finito matrimonio neque conveniſſe videri dotem remanere; & ſi conveniſſet, non eſſe ſervandum pactum contra dotem, cum mariti mortalitas intervenit; ait Ulpianus *in l.* 2 *D. eod.* Non debet enim filiis nocere pactum ejuſmodi, nec aliis, qui repetere dotem poſſunt, niſi & ipſi illud probaverint *l. paciſci* 1 §. 1 *D. eod.*, quod ſupra expoſitum eſt *cap.* 4 *num.* 13.

19 II. Dotem non acceptam maritus nec etiam reſtituit *ex l.* 52 *D. ſolut. matrim.* ubi ſic Triphoninus: *Maritus dotem, quam non accepit, poſt divortium per errorem ſolvit; repetet; quia non numeratam caverat.*

20 III. Si fundus dotalis perierit, vel evictus ſit ſine dolo & culpa mariti: nam caſus fortuiti nocent domino. Ad id Paullus *in l. Mævia* 49 *D. eod.* reſpondit, prædio evicto ſine dolo & culpa viri, pre-

tium

tium petenti mulieri doli mali exceptionem obeſſe: conſequi enim eam pretium fundi evicti evidens iniquitas eſt, cum dolus dotanti ipſi nocere debeat.

21 IV. Si maritus non ſit ſolvendo, quippe qui non cogitur ad reſtitutionem, niſi in quantum facere poteſt; habita ſcilicet ratione ne egeat juxta perſonæ qualitatem *l. alia cauſſa* 14 *D. hoc tit.* ubi eleganter quærit Pomponius. Si paciſcatur maritus, ne in id, quod facere poſſit, condemnetur, ſed in ſolidum, an hoc pactum ſervandum ſit? Et negat ſervari oportere: quod quidem & mihi videtur verum: nanque contra bonos mores id pactum eſſe melius eſt dicere: profecto contra receptam reverentiam, quæ maritis exhibenda eſt, id eſſe apparet. Socero quoque, cum quo nurus de dote agit, idem honor habetur, ut in id damnetur, quod facere poteſt, inquit Paullus *in l. rei judicatæ* 15 *D. eod.* Quia parentis locum ſocer obtinet. At heres mariti in ſolidum condemnatur *ex eadem l.* 15.

22 V. Quotiens mulier ſine cauſſa repudium contemta lege mittendum eſſe tentaverit, ſuam dotem, & ante nuptias donationem amittit *l. conſenſu* 8 §. 4 *C. de repud.* Si vero filiis extantibus illegitimum repudium miſſũ eſt; omne quicquid ex nuptiis lucratum eſt, filiis poſt mortem accipientis ſervabitur *dicta l.* 8 §. 7. Sed vir mulierem ſine culpa rejiciens compellebatur ei quartam partem propriæ ſubſtantiæ pro rata portione perſolvere: eodemque modo mulier indotata virum ſine cauſa derelinquens, quartam bonorum ſuorum partem æqua lance in pœnam viro perſolvebat, ex Juſtiniani ſanctione *in l. jubemus* 11 §. 1 *C. de nuptiis*. Ex recentiori tamen ejuſdem Imperatoris placito vir ſine cauſa uxorem dimittens ex ſubſtantia ſua etiam conſtante matrimonio tantum dabit uxori, quantum tertia pars facit antenuptia-

lis

lis largitatis, Novel. 117, & Auth. *ſed novo jure C. eod. tit. de repud.* Inter culpas viri & uxoris conſtitutionibus enumeratas & has Juſtinianus adjecit: *ſi uxor ſua ope, & induſtria abortum fecerit: vel ita luxurioſa eſt, ut commune lavacrum cum viris libidinis cauſſa habere audeat: vel dum eſt in matrimonio, alium maritum ſibi fieri conata fuerit, l. jubemus* 11 *§. 2 C. de repud.* Olim (ut tradit Ulpianus *in fragmentis tit.* 6 §. 9, & 12) retentiones ex dote fiebant propter mores vel graviores, vel leviores. Graviores erant adulteria tantum: leviores, omnes reliqui. Morum utique graviorum ſexta retinebatur: leviorum item octava. Sed judicium iſtud de moribus omnino abolevit Juſtinianus *in dicta l. jubemus* 11 *in fin. C. de repud. & judicio de moribus ſublato.*

23 VI. *Si mulier ob cauſſam fornicationis judicio Eccleſiæ, aut propria voluntate a viro receſſerit, nec reconciliata poſtea ſit eidem, dotem, vel dotalitium repetere non valebit cap. plerunque 4 de donat. inter vir. & uxor.* Hoc Decretalium jus communiter receptum affirmat Reg. de Roſa *in prax. civ. reſ.* 3 *crim. n.* 6, ſcribens hodiernis moribus mulierem non modo propter adulterium, ſed libidinoſum etiam oſculum, tactumque amittere dotem, ac dotalitium. Quinimo quæ luxurioſe vivere inveniatur, liberis tradendæ ſunt ejus facultates: filiiſque non extantibus, Fiſco applicabuntur, ex Juſt. *Novell.* 117 *cap.* 10, & Auth. *quod hodie C. de repud.* Vel ob adulterii crimen detrudatur in monaſterio, ejuſque bonorum duæ partes attribuantur filiis, tertia monaſterio: vel ſi liberos non habuerit, parentibus tertia, & monaſterio duæ applicabuntur: vel utriſque deficientibus univerſa ſubſtantia quæretur monaſterio: ſalvis viro manentibus in omni caſu pactis dotalium inſtru-

ſtrumentorum, Nov. 134 *cap.* 10, & Auth. *ſed hodie C. ad leg. Jul. de adulteriis*. Verum ex Papiniani reſponſo *in l. viro* 39 *D. ſoluto matrim.* compenſantur conjugum delicta: nam viro atque uxore mores invicem accuſantibus, cauſſam repudii dediſſe utrumque pronunciatum eſt, quatenus ea lege, quam ambo contemſerunt, neuter vindicetur: *paria enim delicta mutua penſatione diſſolvuntur*. Itidem ex Scævola *in l. cum mulier* 47 *D. h. eod. tit.* cum mulier viri lenocinio adulterata fuerit, nihil ex dote retinetur: cur enim improbet maritus mores, quos ipſe aut ante corrupit, aut poſtea probavit?

24 Tandem conſuetudines locorum quantitatem reddendarum dotium aliquibus in caſibus moderantur. Nam in civitate Capuæ, et alibi conſuetudo viget, per quam vir ſtatim ac matrimonium conſummaverit, medietatem acquirit pecuniæ, et bonorum mobilium in dotem acceptorum; adeout ſoluto matrimonio nonniſi medietatem reſtituat. Verum prædia, et ſtabilia dotis integre, prout jure communi cautum eſt, reddit.

C A P. XV.

DE DOTE PRÆLEGATA.

Ex lib. 33 Digeſt. tit. 4.

1 *Prælegari, & relegari dos dicitur, ubi heres ante diem debendi eam ſolvere debeat.*
2 *Nulla enim dilatio ei competit ad prælegatam dotem ſolvendam.*
3 *Actio dotis continetur in ejuſmodi prælegato.*
4 *Si tamen maritus quid uxori legaverit, idque in dotem*

dotem prælegare non expreſſerit , utrunque debebitur , & legatum , & dos.

5 *Onuſque fideicommiſſi , aliudve non ſervabit uxor ſuper quantitate dotis , ſed ſuper exceſſu legati .*

6 *Pacta dotalia prælegato minime mutantur .*

7 *Non ſolutam dotem ſi vir relegaverit , heres nil debebit uxori ſolvere .*

8 *Quæ de legatis generatim jura conſtituerunt , in prælegato dotis fere locum obtinent .*

9 *Conditio poſſibilis in prælegata dote implenda eſt , impoſſibilis niſi impleatur, nil intereſt.*

PRælegare dotem dicitur maritus , quum eam pure legat , quatenus heres eandem ante ſolvat , quam jure debeat . Iſtoque ſenſu *prælegare* , & *relegare*
1 aliquando apud Jureconſultos unum idemque ſonant: nam *relegare* non modo eſt aliquem de patria in certum locum exulatum mittere , ſed etiam eſt alteri quodammodo rem ſuam legare, Cujac. 4 *obſerv.* 23 . Hac relegandæ dotis formula utebantur Romani. *Quanta pecunia dotis nomine ad me pervenit , tantam heres meus dato* , Gothofr. *in hac rubr. Digeſtor.*
2 Præcipuus dotis prælegatæ effectus eſt , ut ſine annali , aliave dilatione poſt mortem viri prælegantis continuo præſtari , & reddi debeat *l.* 4 §. 4 *D. h. tit. Et verum eſt* (ait ibidem Ulpianus) *commodum in dote relegata eſſe repræſentationis , quamvis annua die dos præſtaretur .* Nam *repræſentat* , qui ante diem ſolvit , quippe qui efficit ut res ſit præſens , utque præſens quaſi ad manum detur , juxta Gothofredi interpretationem , Hinc dote legata non poterit heres teſtatoris ſolutionem differre , dotemque retinere ob donationes uxori factas , vel ob im-

 penſas

penſas utiles, & voluptuoſas, exceptis tantummodo neceſſariis, quas procul dubio valet deducere *l. dote* 5 *D. hoc tit.*

3 Actionem dotis continet dotis relegatio, adeo ut ceſſet legatum, ſi vivus teſtator eam uxori ſolverit, in illis puta caſibus, quibus licet, ut ſe ſuoſque alat, ex reſponſo Ulpiani in *cit. l.* 1 §. 5 *D. hoc tit.* Cum igitur Julianus quæſiiſſet: ſi dotem marito relegaverit ſocer, an dote ſoluta mulieri legatum mariti extinguatur? & reſpondit extingui: quia nihil eſſet jam, quod marito poſſet præſtari, *dicta l.* 1 §. *idem Julianus* 11. Eademque ratione ſi mancipia fuerint in dote non æſtimata, & hæc demortua ſint, legatum dotis in his evaneſcit, *ibid.* §. 6.

4 Edicto Prætoris olim cautum erat, ut ſi quid maritus uxori hereditatis, vel legati, vel fideicommiſſi titulo reliquiſſet, *alterutro* contenta eſſet mulier: vel ſcilicet legato, vel dote. Quod tamen correxit Juſtinianus *in l. un.* §. 3 *C. de rei uxor. act.* præcipiens, ut uxor & a marito relicta bona recipiat, & dotem conſequatur, niſi ſpecialiter pro dote maritus ea legaverit: præſumit enim in dubio teſtatorem, qui id non expreſſerit, voluiſſe utriuſque utilitatem uxori attribuere. Quum igitur vir aliquid uxori abſolute legans non præſumatur in dubio voluiſſe pro dote prælegare, ipſa ex teſtamento legatum petet, prætereaque dotem ex ſtipulatu. Si tamen fundus in dote ſit, & ſpecialiter ſit legatus; mox generaliter dos relegata, non bis, ſed ſemel deberi fundum, cum Mela cenſuit Celſus *in dict. l.* 1 §. 14 *D. eod.*

5 Uxor autem, ſi rogetur vel dotem, vel quod pro dote legatum eſt, reſtituere, non cogetur fideicommiſſum ſervare, niſi pro commodo, quod ex relegatione mulier ſentit. Et ideo heres inſtituta, rogataque quantitatem hereditatis reſtituere; id demum

re-

reſtituet, quod quantitatem dotis excedit, idque quod ex repræſentationis commodo ſentit, ait Ulp. *in l. cum quis uxori 2 D. hoc tit.* Habebit igitur præcipuam dotem cum ſuis fructibus: id vero quod extrinſecus ei relictum eſt, cum fructibus, qui ad eam pervenerint, reſtituet.

6 Per dotis prælegatum pacta dotalia minime variantur; ſed valida, vel irrita, uti erant, remanent. *Cum dos relegetur* (ait Ulpian.) *verum eſt id dotis legato ineſſe, quod actioni de dote inerat. Et ideo ſi inter virum & uxorem convenerat, ut morte viri ſoluto matrimonio, filio communi interveniente dos apud mariti heredem remaneret, & maritus decedens dotem relegaverit, ſtari pacto non debet ob hoc, quod dos relegata eſt, dict. l.1 in princ. D. hoc tit.* Etenim pactum ejuſmodi non valet *l. ſi convenerit 2 D. de pact. dotal.* Si autem diſpoſuiſſet teſtator, ut uxori fundus Cornelianus, & quæ nuptura obtulit æſtimata, in ſpeciebus reſtituantur; Papinianus reſpondit non æſtimatum prædium in dotem datum exceptum non videri, ſed univerſa dote prælegata rerum æſtimatarum pretium non relictum: verum ipſas res, quales invenirentur *l. uxori 9 D. de dot. præleg.* etiamſi meliores factæ ſint, nullas enim impenſas ſive utiles, ſive neceſſarias heres deducet, quas remiſiſſe teſtator præſumitur *l. Mævia §. a me D. de leg. 2.* Afflict. *dec.* 359 *num.* 3. At ſi deteriores effectæ ſint ac detritæ res æſtimatæ, non cogitur uxor prælegatum ejuſmodi acceptare, ſed ex pacto dotali, cui maritus derogare nequit, pretium integrum dotis æſtimatæ repetet.

7 Si dotem promiſerit mulier, neque dederit, & decedens maritus uxori dotem prælegaverit, mulier nihil amplius quam liberationem dotis, quæ dari debuit, & fructuum, ſeu interuſuriorum dotalium, habebit *d. iſt. l.1 §. 7.*

8 Quod ad reliqua, prælegatum dotis ſubjicitur generalibus aliorum legatorum regulis. Hinc ſi quis ita legaverit: *Centum quæ in arca habeo*; aut *quæ ille apud me depoſuit*: ſi nulla ſint, nihil deberi conſtat, quia nulla corpora ſint, *dict. l.* 1 §. 7. E contrario ſi quis uxori fundum Titianum his verbis ſupervacaneis & erroneis legaſſet: *is enim fundus propter illam ad me pervenit*, omnimodo debetur fundus: nam quicquid demonſtratæ rei additur ſatis demonſtratæ, fruſtra eſt, *dict. l.* 1 §. *ult.* Demonſtrata autem res intelligitur; quæ tempore, & facto finita eſt *l.* 147 *in fin. D. de verb. obl.*

9 Si prælegetur dos ſub conditione, quæ poſſibilis pro parte ſit, & pro parte impoſſibilis, ſufficit ſi ei pareatur in eo quod poſſibile eſt, ex reſponſo Scævolæ *in l. qui dotem* 12 *D. de dote prælegata*, cujus hypotheſis eſt hæc. Teſtator quidam uxori ita legavit: *Sejæ uxori meæ ſi omnes res, quæ tabulis dotalibus contineantur, heredi meo exhibuerit, & tradiderit ſummam dotis, quam mihi pro ea pater ejus intulit, dari volo; hoc amplius denarios decem*. Quæſitum eſt, cum res in dotem datæ plures ipſo uſu finitæ eſſent & conſumtæ, nec moriente marito exiſterent, an quaſi ſub impoſſibili conditione legatum datum debeatur. Reſpondit Jureconſultus videri conditioni paritum, ſi quod ex rebus in dotem datis ſupererat, in poteſtatem heredis pervenit.

CAP.

CAP. XVI.

DE DOTIS COLLATIONE.

Ex lib. 37 Digeſt. tit. 7.

1 *Ad ſervandam æqualitatem inter liberos coheredes fit collatio & dotis, & donationis.*

2 *Tam ab inteſtato, quam ex teſtamento ſuccedentes, niſi eam teſtator expreſſe prohibuerit.*

3 *Ea tamen dos contribuitur, quæ ab illo data ſit parente ſive paterno, ſive materno, cujus hereditas dividenda eſt.*

4 *Promiſſa dos per cautionem liberationis confertur.*

5 *Sed data ſoluto matrimonio confertur realiter; conſtante conjugio per remiſſionem.*

6 *Si tamen perierit ſine culpa mulieris, actionem licet inanem ea conferet: aliter culpam præſtabit.*

7 *Et ubi recuperatio dubia ſit, per cautionem fiet collatio.*

CОnferre dotem nil aliud eſt, quam dotem contribuere, quatenus ſervetur æqualitas in dividendis pro-virili portionibus hereditariis inter filios mares, &
1 fœminas ex æquo ſuccedentes communibus parentibus, *l. 1, & ſeq. D. hoc tit.*, *& l. 2, & ſeq. C. de collationibus*; quia dotem non minus quam donationem propter nuptias à patre, vel matre, vel aliis parentibus datam eſſe conferendam inter filias coheredes ſine ullo ſexus diſcrimine demandarunt Impp. Leo *in l. ut liberis* 16, & Juſtinianus *in l. illud* 29 *§. 1 C. de collationibus*. Ad cujuſmodi æqualitatem inter liberos ſervandam; quemadmodum fœ-

minæ dotem atque donationem propter nuptias contribuunt, ſic viciſſim maſculi donationem quoque ſimplicem conferre coguntur, quam acceperint ab eo parente, cujus hereditatem inter ſe partiantur, *l. illud* 29 *C. de collat.*

2 Locum vero habet collatio tam ſi ab inteſtato, quam ſi ex teſtamento deferatur ſucceſſio. Tametſi enim non fiebat olim collatio inter coheredes ex teſtamento, niſi parens eandem fieri aperte juſſiſset *l.* 1 *C. eod.* hodie tamen fit ſemper, niſi expreſſim teſtator eam vetuerit, quoniam incertum eſt ne forſan oblitus datorum, aut præ tumultu mortis anguſtiatus collationis non meminerit, Nov. 18 *cap.* 6, unde ſumta eſt auth. *ex teſtamento C. de collationibus.*

3 Ea tamen dos contribui debet, quæ data, vel conſtituta fuerit ab illo parente, ſive paterno, ſive materno, de cujus dividenda hereditate agitur. Quumque Gordianus cenſuerit profectitiam dotem a filia, ſive ſui, ſive patrii juris conferri debere fratribus tam emancipatis, quam non emancipatis: adventitiam vero non emancipatis, ſed iis tantum, qui in poteſtate patris fuerint *l. filia* 4 *C. eod.* Juſtinianus quidem rectius exemit ab onere collationis adventitia generatim bona in diviſione paternæ hereditatis inter liberos, quoniam nullum jus ſuper adventitiis defuncto patri quæſitum fuit *l. ult. C. eod.* Nihilominus dos adventitia per matrem, maternoſve parentes data conferenda eſt inter liberos ipſi matri, & maternis parentibus ſuccedentes *ex cit. l.* 16, *&* 29.

4 Diſcrimen vero eſt hac in re inter dotem promiſſam, ac datam: nec non conſtante, ac ſoluto matrimonio. Si enim *promiſſa* tantum dos fuerit, confertur per cautionem liberationis, ac defenſionis: hoc eſt ita cavebit filia, ut pro portionibus fratres

ejus

ejus a neceſſitate præſtandæ dotis liberentur, & immunes ſint a moleſtiis mariti, qui dotis exigendæ actionem habet *l. ſi pater* 2 *C. eod. l.* 1 §. 7, *&* 8 *D. hoc tit.*

5 *Data* vero dos, quam mulier *ſoluto* matrimonio recuperaverit, debet realiter conferri, ſeu confundi cum hereditariis bonis, ut partem ejus fratres accipiant *l. ſi ſoror* 8 *C. eod.* ut puta duo ſunt fratres, ſoror habens trecenta dotis, ducenta fratribus confert, ſibi centum retinet: nam quicunque confert, etiam ſuam perſonam numerat in partibus faciendis *l.* 1 §. *ult. D. de collation.* Sed *conſtante matrimonio*, dotem quam vir ejus poſſidet cum jure fructus percipiendi, mulier remiſſione confert, tantum minus accipiendo de portione hereditatis, quantum fratres ex dote accipere deberent *l. dotis* 5 *C. eodem*. Dummodo ipſa dos extet, vel idoneæ ſint facultates mariti, cui ſoluta
6 fuerit: ſi enim deperierit ſine ulla mulieris culpa, nullatenus ad realem collationem ea cogitur *l. cum emancipati* 2 §. 2 *D. de collat.*, ſed nudam, & inanem actionem ſolummodo confert, Nov.97 *cap.*6, unde ſumta eſt auth. *quod locum habet C. eodem*. Afflict. *deciſ.* 247 *num.* 2: vel illud tantum, quod maritus, ejuſve heres poteſt reddere *l.* 1 §. *cum dos D. hoc tit.* Quod autem culpa, vel dolo malo mulieris ex dote perierit, ad collationis onus pertinet *d. l.* 1 §. 23 *D. eodem*. Ideoque mulier ſui juris, vel perfectæ ætatis (puta major 25 annis jure communi, & 18 jure Regni) dotem confert, quam a viro inope nequibit repetere, & ſibimet culpam inferat, cur mox viro inchoante inopiam, & male ſubſtantia uti, non accepit, & non eſt ſibi auxiliata petendo cautionem, vel præventivam illius reſtitutionem, dicta Novella 97 *cap.* 6.

7 Quotiens autem dubia ſpes fuerit recuperandi dotem, debet *cautione conferri*, vel per ſatiſdationem, vel per pignora *dict. l.* 1 §. 9 *D. de collat.*

CAP. XVII, & ULTIMUM.

DE ACTIONIBUS.

1 *Vel in promiſſores, vel in virum, ejuſque heredes, vel in tertium poſſeſſorem datur actio dotis.*

2 *In promiſſores quidem vel ex officio judicis, vel jure actionis.*

3 *Quæ olim dicebatur actio rei uxoriæ, nunc actio ex ſtipulatu competens etiam ſine inſtrumento dotali.*

4 *Et iſtac datur etiam in virum, virique heredes cum jure hypothecæ quoque tacitæ.*

5 *Continet bonæ fidei beneficium, & rei uxoriæ naturam.*

6 *Hinc tranſmittitur ad heredes, dummodo nuptiæ ſequutæ fuerint.*

7 *Nec ultra quam facere poteſt, competit in maritum: licet ex Neap. conſ. detur in ſolidum.*

8 *Efficit, ut vidua mariti heres præcipuam dotem ſuam ceu æs alienum ſubtrahat.*

9 *Ut filius etiam ex paterna hereditate dotem uxoris, nuruſque ſuæ præcipiat.*

10 *Utque filia etiam exheredata dotem a patre, vel avo exheredante conſtitutam obtineat.*

11 *Ut ſtipulatio tacita extraneis dotantibus non concedatur.*

12 *Sed vix patri, avoque paterno, qui tamen rem*

petere

petere profectitiam dotem ſine conſenſu filiæ nequit.

13 *Hypotheca quoque tacita datur ſuper bonis tam dotantium pro ſolvendis, quam viri pro reddendis dotibus contra quemlibet poſſeſſorem.*

14 *Quæ ſi prior erit in tempore, præfertur expreſſis quoque hypothecis creditorum, ſecus autem ſi poſterior fuerit.*

15 *At vero tacitis aliorum creditorum hypothecis etiam anterioribus præfertur:*

16 *Pupillorum videlicet ſuper bonis adminiſtratorum, & illorum qui ad reficiendam domum, vel emendum agrum pecuniam crediderint: excepta cauſa militiæ, & fiſci.*

17 *Mens Juſtiniani in l. aſſiduis tanquam iniquiſſima carpitur a Fabro.*

18 *Quæ tamen æquiſſima videtur ex eo, quod privilegium potioritatis mulieribus contra omnes anteriores creditores ſuper rebus dotalibus æſtimatis extantibus tantum conceſſerit.*

19 *Super inæſtimatis autem dotalibus rebus nullam omnino actionem creditores obtinent.*

20 *Dos novercæ poſterior anteriori primæ uxoris doti, quam privigni petent, non præfertur.*

21 *Niſi extantes ſolum fuerint res dotales æſtimatæ ipſius novercæ.*

22 *Hypotheca potior pro dotibus, uſuriſque dotalibus indulta non competit pro antefato, ſed hypotheca ſimplex.*

23 *Quemadmodum & ſimplex datur hypotheca marito ſuper bonis promiſſorum.*

24 *Sed filiis maternas dotes petentibus ſuper bonis paternis eadem datur potioritas, quæ matri eorum, & uxori etiam putativæ.*

25 *Tempus hypothecæ dotium computatur a die promiſſionis, vel mortis ejus, qui dotem legavit.*

Sed

26 *Sed ubi dos jure debeatur ſine promiſſione, non hypothecaria & realis, ſed perſonalis tantum actio competit.*

27 *Niſi conſtiterit de contracto rite matrimonio, petitio dotis locum non habet, prateterquam ad ſecuritatem præventivam.*

28 *Si dotalia inſtrumenta publice fuerint inita, vel privata fuerint notario publico tradita, judicio exequutivo petitur dos tam contra promiſſores, quam contra virum, ejuſque heredes.*

29 *Sed contra tertium poſſeſſorem agitur judicio ordinario.*

30 *Inter conjuges tandem, eorumque ſucceſſores nunquam criminalis actio, ſed civilis tantum admittitur ob matrimonii reverentiam.*

TRifariam actiones dotales occurrunt. Primo videlicet contra obligatos ad dotandum, vel contra dotium promiſſores pro earum ſolutione. Secundo, con-
1 tra virum, ejuſque heredes pro reſtitutione. Et tertio, contra tertium poſſeſſorem, aliumve intereſſe habentem pro dote recuperanda, ſartaque tecta habenda.

2 In primis qui ratione ſanguinis, vel pietatis ad conſtituendam, ſolvendamque dotem ex diſpoſitione legis compelli poſſunt, contra eos actio competit ex officio judicis, *l. capite* 19 *D. de ritu nuptiarum*. Contra vero alios obligatos ex ſtatuto, vel jure municipali, vel prævio pacto etiam nudo, vel ex diſpoſitione hominis; petitio dotis datur jure actionis *ex ſtipulatu*, quæ ſuffecta eſt a Juſtiniano in locum actionis *rei uxoriæ*, *l. unic. C. de rei uxoriæ actione*.

3 Rei autem uxoriæ vocabulum non modo res *dotales*, ſed præter *dotales* etiam, ſeu *paraphernales*, & re-

& *receptitias* complectebatur: unde dotem perinde a re uxoria differre, ac ſpeciem a genere, liquet. Pro dote exigenda olim dabatur actio rei uxoriæ, quæ multas differentias & ſimilitudines habebat cum actione ex ſtipulatu, quas omnino reſecuit Juſtinianus *in d. l un. C. de rei uxoriæ actione in ex ſtipulatu actionem transfuſa, & de natura dotibus præſtita*: Ubi *rei uxoriæ actione ſublata ſancivit omnes dotes per actionem ex ſtipulatu exigi, ſive ſcripta fuerit ſtipulatio, ſive non: ut intelligatur reipſa ſtipulatio eſſe ſubſequuta. Eodemque modo & ſi inutiliter facta eſt ſtipulatio: adjuvari enim eam magis, quam evaneſcere oportet. Si enim cum una in inſtrumento ſtipulatio valida inveniatur, aliis etiam inutilibus ſuam noſcitur præſtare fortitudinem, quare non ex noſtra lege hujuſmodi ſtipulationibus robur accedat legitimum? Eſt enim conſentaneum nobis qui cenſemus, ubi ſtipulatio ſuppoſita non eſt, intelligi eam fuiſſe adhibitam; & multo magis etiamſi inutilis eſt, validam eam effici.*

4 Et hujuſcemodi actio ex ſtipulatu datur etiam in virum, ejuſque heredes ad reſtitutionem dotis obtinendam. Utque plenius dotibus ſubveniret, Juſtinianus ibidem dedit ex utroque latere hypothecam; *ſive ex parte mariti pro reſtitutione dotis, ſive ex parte mulieris pro ipſa dote præſtanda, vel rebus dotalibus evictis: ſive ipſæ principales perſonæ dotem dederint, vel ſuſceperint; ſive aliæ pro his perſonæ. Sicut enim & ſtipulationes, & hypothecæ ineſſe dotibus intelliguntur, & inutiles ſtipulationes emendantur, ſic & in poſterum cauſa invenietur valida, & perfecta quaſi omnibus dotalibus inſtrumentis per prudentiſſimos viros confectis.*

5 Tum non ignorans Imperator actionem ex ſtipulatu

latu ſtricti juris eſse, & non ex bona fide deſcendere, quia tamen novam naturam de dote ſtipulationi tribuit, accommodavit ei naturam rei uxoriæ, & bonæ fidei beneficium: & omnes quidem eventus, quos dos ex ſtipulatu habet, manere voluit. Si quid autem optimum ex rei uxoriæ actione invenit, hoc ſpecialiter actioni ex ſtipulatu addidit, ut ſit nova iſta ex ſtipulatu, quam compoſuit, actio etiam veteris actionis pulchritudine decorata, & utilitate.

Quare neceſſarium eſt exponere quæ Imperator ſpecialia iſtiuſmodi actioni dotali accommodavit, tanquam effectus notabiles novæ actionis.

6 In primis quidem quum actio ex ſtipulatu tranſmittatur in heredes *l. 27 D. ſolut. matrim.* & *l. avia tua 6 C. de jure dotium*, ibi: *Avia tua eorum, quæ pro filia tua in dotem dedit, & ſi verborum obligatio non interceſſit, actionem ex fide conventionis ad te, ſi heres extitiſti, tranſmittere potuit*. Hoc privilegium firmavit Juſtinianus *in dict. l. un. §. 4, & 6* inquiens: *Maneat ex ſtipulatu actionis jus ad ſucceſſores, & ſine mora tranſmiſſionis incorruptum*. Adeout *ſi deceſſerit mulier conſtante matrimonio, dotem non in lucrum mariti cedat, niſi ex quibuſdam pactionibus, ſed ad mulieris heredes ex ſtipulatu actio ſecundum ſui naturam tranſmittatur, ſive expreſſa fuerit, ſive ex hac lege ineſſe intelligatur*. Conſonat Ulpianus *in l. dotale prædium 13 §. 3 D. de fundo dotali* inquiens: *Heredi quoque mulieris idem auxilium præſtabitur, quod mulieri præſtabatur*; ideſt ſuo, non extraneo, juxta interpretationem Gothofredi *ibid.* Ceterum ex reſcripto Impp. Severi & Antonini *in l. un. C. de privileg. dot. ſcire debes privilegium dotis, quo mulieres utuntur in actione de dote, ad heredem non tranſire*. Nihilo tamen minus

dos

dos innuptæ regulariter ad heredes non tranſmittitur, neque jus illam petendi propter deficientem conditionem nuptiarum, de qua obligatio dotalis pendet. Excipitur autem dos illa, quæ ſuccedit in locum legitimæ, vel pure promiſſa, aut legata ſit ſine conditione: iſtæc enim rectiſſime tranſmittitur tanquam res propria mulieris ante contractas quoque nuptias: eoque magis poſt eaſdem, ut ſupra dictum eſt in actione ex ſtipulatu.

7 At non cogitur maritus dotem reſtituere in ſolidum juxta naturam actionis ex ſtipulatu, ſed in quantum facere poteſt: *quia hoc æquiſſimum eſt, & reverentiæ debitum maritali, ſi non dolo malo verſatus eſt: cautione tamen ab eo exponenda, quod ſi ad meliorem fortunam pervenerit, etiam quod minus perſolvit, hoc reſtituere procuret*. At ex Neap. conſ. *ubi dos* 2 *de jure dot.* maritus non minus, quam heres ejus condemnatur ad reſtituendam dotem in ſolidum in quolibet caſu reſtitutionis.

8 Si autem mulier a marito heres inſtituta legatis onerata ſit, ſicque legis falcidiæ ratio emerſerit, ante omnia ſuæ dotis debitum ſicuti alia debita ex hereditate viri ſubtrahet, & de reſiduo deducta, ſibique retenta quarta falcidia, ſolvet legata *cit. l. unic.* §. 8.

9 Similiter in paternæ familiæ erciſcundæ judicio dotem uxoris, nuruſque ſuæ præcipuam deducit filius *l.* 20 §. 2 *D. familiæ erciſc. dict. l. un.* §. 10. videlicet ſecundum naturam ex ſtipulatu actionis.

10 Dotem a patre, vel avo conſtitutam filia conſequitur etiamſi exheredata, vel emancipata ſit: æquiſſimum enim viſum eſt Juſtiniano in eadem actione ex ſtipulatu mulierem dotem ſuam præcipuam accipere, etſi emancipata, vel exheredata, vel cum aliis ſcripta ſit heres *dict. l. un.* §. 11.

11 Di-

11 Diſcrimen quoque inter promiſſores dotium extraneos, paternoſque parentes inter peculiares hujuſce actionis ex ſtipulatu effectus recenſendum eſt. *Magis enim in dotibus, quæ ab extraneis dātur vel promittūtur, ipſa mulier feciſſe videatur tacitam ſtipulationem: niſi expreſſim extraneus ſibi dotem reddi pactus fuerit, vel ſtipulatus: cum donaſſe magis mulieri, quam ſibi aliquod jus ſervaſſe extraneus non ſtipulando videatur*, ait Imp. *in d. l. un.* §. 13. Extraneus igitur dans dotem, niſi redditionem ſibi paciſcatur, donare cenſetur; ideoque tacita ſtipulatio non competit extraneo dotanti, cuilibet nimirum perſonæ extra virilis ſexus aſcendentes, quæ dotatam in poteſtate non habeat. Ait quoque Imperator *in d. l. un.* §. 13. *Si non ſpecialiter extraneus dotem dando in ſuam perſonam ſtipulatus ſit, vel pactus fuerit, tunc præſumatur mulierem ipſam ſtipulationem feciſſe, ut ei dos ex hujuſmodi caſu accedat. Neque enim in hac ſpecie volumus videri extraneum tacitam ſtipulationem feciſſe; ne quod pro mulieribus introduximus, hoc adverſus mulieres convertatur.*

12 Parenti autem mulieris tacitam ex ſtipulatu actionem dedit Juſtinianus pro reſtitutione dotis profectitiæ *d. l. un.* §. 13. Nihilominus poſt diſſolutum matrimonium non poterit ſolus pater ſine conſenſu filiæ ſuæ agere: qui ſi ante actionem motam, vel antequam lis conteſtata eſſet, ab hac luce fuerit ſubtractus, ad filiam quaſi proprium patrimonium dos revertitur ex rei uxoriæ natura & indole: idque in actionem ex ſtipulatu tranſponere ſatis humanum, ſatis pium, ſatis utile matrimoniis cenſuit Imperator *in* §. 14 *ejuſdem l. un.*

13 Actio ex ſtipulatu adnexam habet hypothecam quoque tacitam, ipſoque jure inductam ſine pacto; ideoque

ideoque dupliciter exerceri valet, videlicet *perſonaliter* contra perſonam debitoris dotalis, & *realiter* ſuper bonis tam promiſſorum, quam viri contra quemlibet tertium poſſeſſorem. Quare tam maritus & uxor concurrit ad bona promittentis adipiſcenda, quam mulier vidua ad bona defuncti viri pro dote recuperanda una cum aliis creditoribus
14 hypothecam expreſſam habentibus, hoc pacto, ut prior in tempore ſit potior in jure *l. ult. C. qui potiores in pignore*.
15 Quod ſi ceteri creditores tacitam, non vero expreſſam habeant hypothecam, mulier pro dote ſua rehabenda, & filii pro dote materna privilegium habent prælationis & potioritatis, adeout præferantur aliis tacitam hypothecam obtinentibus in bonis defuncti viri, vel patris *ex l. aſſiduis* 12 *C. qui potiores in pignore*. Ubi Juſtinianus aſſiduis aditionibus mulierum inquietatus, quæ ſuas dotes deperditas eſſe lugebant, & ab anterioribus creditoribus ſubſtantias maritorum detentas, ſancivit *ex ſtipulatu actionem, quam mulieribus jam pro dote inſtituenda dedit, & cui etiam tacitam donavit ineſſe hypothecam, potiora jura contra* omnes *habere mariti creditores, licet anterioris ſint temporis*
16 *privilegio vallati*. Omnes, ſcilicet tacitam tantum habentes hypothecam, juxta ſententiam *gl.* communiter receptam in noſtris quoque tribunalibus, & præſertim S. R. C., Gizzarellus *dec.* 1. Puta contra pupillos, quibus ex adminiſtratione pupillarium rerum tacita tribuitur hypotheca ſuper bonis adminiſtratorum *l.* 20 *C. de adminiſt. tut.* Et contra alios ab eodem Juſtiniano commemoratos Nov. 97 *cap.* 3, ibi: *ſi quis domum renovaſſet, aut etiam agrum emiſſet, non poſſit talia potioritatis privilegia mulieribus opponere: infirmitatem nanque mulie-*
ris

ris naturæ ſatis novit,*eaſque circa dotem periculũ ſuſtinere* noluit.Si quis tamen crediderit aurum occaſione militiæ ante dotis conſtitutionem, præfertur uxori,*d.*Nov.97 *cap.*4.Fiſcus tamen & dos æquo jure procedunt in tacita hypotheca,quatenus prioritas tẽporis, non potioritas attendatur, ubi Fiſcus ſuper bonis debitorum fiſcalium, & mulier pro dote ſua inſimul concurrant *l.*2 *C. de privil. fiſci*, *&* *l.dotis tua* 9 *C. de jur. dot.* Ceterum in ambiguis pro dotibus reſpondere melius eſt ex Paulli ſententia *in l. in ambiguis* 85 *D. de reg. jur.*

17 Antonius Faber *lib.* 8 *conject. cap.* 12 *col.* 3 fatetur *duram legem eſſe*, *&* *iniquiſſimam*, qua contra *omnes* generatim creditores anteriores ſine diſtinctione tacitæ, & expreſſæ hypothecæ privilegium potioritatis conceſſum à Juſtiniano dotibus autumavit: *ſed ita ſcripta eſt*. *Nec tamen inficiatur prudenter feciſſe veteres interpretes*, *licet nimis audacter*; *qui cum Juſtiniani legem abrogare non poſſent*; *æquiſſima interpretatione ſic eam temperarunt*, *ut prælationis privilegium mulier habeat contra eos duntaxat creditores anteriores*, *qui nonniſi tacitam hypothecam prætendunt*: *quod cum generalis locorum omnium conſuetudo*, *&* *judiciorum omnium auctoritas admiſerit*, *audacior ſane &* *temerarius fuerit*, *qui contra ſentire*, *&* *judicare velit*. *Apertiſſime enim iniquum eſt privilegium temporis*, *quod expreſſa pignoris conventione quæſierim*, *mihi adimi per ſubſequens debitoris matrimonium*. *Quid enim mea intereſt*,*an uxorem ille ducat*, *dotemque ab ea accipiat &* *male conſumat*, *necne?* Sed rectius dicetur Juſtinianum locutum fuiſſe de bonis æſtimatis in dotem marito traditis, ſuper

quibus

quibus æquitas juris mulierem præfert omnibus aliis viri creditoribus ſive tacitam, ſive expreſſam habentibus hypothecam. *Oportebat enim* (ait in textu Juſtinianus) *diſponi maritos creditoribus ſuis ex ſua ſubſtantia ſatisfacere, non de dote mulieris, quam ad ſuos victus, ſuaſque alimonias mulier poſſidet, vel a ſemetipſa datam, vel pro ea ab alio.*

18 Quamobrem ubi æſtimata bona dotalia fuerint alienata, & hereditas vel patrimonium viri ſolvendo non ſit, mulier ad res dotales regreſſum habet, utilemque vindicationem, non aliter quam ſi alienatæ non fuiſſent arg. *l. uxor marito* 44 *in fin. D. de donat. inter vir. & uxor.* Eademque ratione vindicabit fundum dotali pecunia emtum *ex dict. l. uxor marito*; & gl. *in l. ex pecunia verſ. providebit C. de jur. dot.* eoque magis pecuniam dotalem adhuc extantem vel in reali depoſito, vel per cautionem debitoris dotalis, Ant. Galiſius *de act. revocatoria cap.* 1 *&* 9. Seu vere, vel ficte ſolutam pecuniam dotalem avocabit mulier, ut loquitur Reg. de Roſa *in pr. civ. cap.* 1 *n.* 54.

19 Si vero bona dotalia ſint inæſtimata, ſuper illis quum nullam creditores acquirere poſſint actionem, ideo mulieres directo illa ſibi avocant, & reivindicant, arg. *l. un. §. & cum lex C. de rei uxor. act.* Reg. de Roſa *loc. cit. n.* 53.

20 Dos poſterior ſecundæ uxoris minime præfertur anteriori primæ uxoris. Prætulit enim contra novercas Juſtinianæa lex filios anterioris matrimonii, quibus etiam pro dote matris ſuæ jam quidem dedit Imperator Juſtinianus hypothecam contra paternas res, ejuſque creditores; ſimilemque potioritatis prærogativam ſervavit, ne jus quod poſteriori datum eſt uxori, hoc anteriori denegetur: ſed ſic

maneat eis jus incorruptum quaſi adhuc vivente matre eorum. Duabus enim dotibus ab eadem ſubſtantia debitis, ex tempore prærogativam manere voluit *in eadem l. aſſiduis §. exceptis*. Conſonat Novella 91 *cap.* 1, ubi cautum eſt dotem non præponendam doti, nec hypothecam hypothecis; ſed quæ antiquior eſt tempore, potior ſit in jure, proprium robur habens & privilegium.

21 Nihilominus ſi extent res dotales cujuſque mulieris, ſuas quæque mulier, & liberi res extantes vindicabunt ex dicta Nov. 91, *& l.* 30 *C. de jur. dot.* Res autem ſingulæ vindicantur, non autem dos univerſa, quemadmodum nec etiam grex, neque peculium, ſed gregis, & peculii ſingularia corpora, juxta ſententiam Juliani *in l. vindicatio* 65 *D. de reivindic.* Si non extent, antiquior cauſa dotis præfertur. Eademque ratione ſuper rebus dotalibus extantibus licet æſtimatis mulier præferri debet quibuslibet anterioribus viri creditoribus.

22 Hoc autem potioritatis privilegium pro dote ſolum competit, & pro interuſuriis dotalibus, quæ tanquam acceſſoria naturam dotis ſequuntur, ex eo præſertim quod onera matrimonii ſuſtinenda ſunt eiſdem interuſuriis, ex communi DD. ſententia penes Reg. de Marinis *lib.*2 *reſol. cap.* 166 *n.*24. Non ergo extenditur ad donationem ante nuptias, ſeu antefatum; non enim pro lucro fovere oportet mulieres, ſed ne damnum patiantur, ſuiſque rebus defraudentur, curandum eſt *ex eadem l. aſſiduis* §. 2. Nihilominus permiſſa eſt & in rem actio pro donatione antenuptiali, ſeu propter nuptias, ſeu antefato adverſus omnes poſſeſſores Nov. 61 *cap.* 1, & Auth. *permiſſa eſt C. de donat. ante nupt.* Verum actio realis, & hypotheca antefati competit a die promiſſionis illius: quod ſi promiſſum minime fuerit, decurret a die mortis viri.

Inſuper

23 Inſuper ex verbis expenſæ *l. aſſiduis*, aperte liquet hypothecam, quam vir habet in bonis promittentis non eſſe potiorem, nec privilegiatam pro dote exigenda, aliter quam eſt hypotheca dotis reſtituendæ ſuper bonis viri, quoniam nullibi id privilegium viro conceſſum legitur, gl. *in l. un.* §. *& ut plenius C. de rei uxor. act.*

24 Non minus ergo mulieribus, quam earum filiis reſtitutionem dotium maternarum petentibus conceſſit Juſtinianus idem potioritatis privilegium, qui idcirco præferuntur non ſolum novercæ, ſed quibuslibet aliis creditoribus tacitam habentibus hypothecam, Nov. 91 in principio ſic inquiens: *Non enim aliis dedimus dudum, & damus hoc privilegium, aut heredibus, aut creditoribus, ſed ſolis filiis*. Conſonat *cit. l. aſſiduis* 12, *ſeu fin. C. qui pot. in pignore*, ubi correxit Imperator §. *fuerat* Inſtit. *de action.* definientem ſolius mulieris providentia & favore hoc potioritatis privilegium fuiſſe inductum. Uxori putativæ, quæ matrimonium bona fide nulliter contraxerit, competunt hæc privilegia dotalia: ſecus vero ſi mala fide nupſerit, quia dolus & fraus nemini debent patrocinari, *l. ne ex dolo* 13 *D. de dolo*.

25 Tempus vero hypothecæ dotalis computatur a die promiſſionis, vel capitulorum matrimonialium, vel a morte diſponentis, legantiſve dotem; quamvis obligatio ſolvendi dotem ſit conditionalis & nonniſi poſt contractum matrimonium veniat dies ſolutionis. Retrotrahitur enim conditio matrimonii ad promiſſionis diem juxta probabiliorem ſententiam in praxi receptam. Si tamen conſtitutio, & promiſſio dotis matrimonium ſubſequuta ſit, pariter a die promiſſionis decurrit hypotheca legalis; quoniam tametſi dos ſine matrimonio eſſe non poteſt, matrimonium

vero ſine dote-poteſt conſiſtere, ut ſupra expoſitum eſt cap. 1 num. 7.

26 Idque locum procul dubio obtinet in dote per diſpoſitionem hominis competente. Secus tamen dicendum eſt in diſpoſitione juris, nimirum ubi dos jure debeatur ſine promiſſione: puta per parentes puellis deſcendentibus ſive nuptis, ſive nupturis; vel per ſtupratorem defloratæ virgini. Quæ perſonali tantum actione, non autem hypothecaria utentes non præferuntur creditoribus parentum, neque deflorantis, qui ante conſtitutam decreto judicis, vel promiſſione defloratoris dotem, licet poſt nuptias, vel poſt ſtuprum, quæſiverint hypothecam.

27 Peti regulariter dos nequit niſi poſt contractum matrimonium, adeout inſtrumentum capitulorum matrimonialium liquidari non poſſit, niſi exhibita fide Parochi de matrimonio in faciem Eccleſiæ celebrato, ut notat Car.Ant. de Luca ad Franch. *dec.* 366. Thor. *part.*1 *vot.*4. Nihilominus puella nubilis ætatis brevi ſe nupturam ſperans poſtulare valet ut ſibi dos aſſignetur, vel in tuto ponatur, per judicium præventivum; nam intereſt reipublicæ mulieres dotes ſalvas habere *l.2 D. de jur.dotium*, ut viros facilius inveniant, legitimamque generent prolem.

28 Judicium pro dote conſtituta nedum exigenda, ſed etiam reſtituenda hoc in Regno eſt exequutivum, ſeu præceptivum ob inſtrumenta publica, & guarantigiata, quibus dos promittitur, vel ſolvitur ad mutuam partium cautelam. Quinimo ſtylus invaluit dandi viam exequutivam per trina præcepta privatis etiam capitulis matrimonialibus, dummodo ſint publico Notario tradita conſenſu ambarum partium ad conſervandum, ut teſtatur Leonardus Riccius *to.* 2 *praxis tit.* 5 *cap.* 1 *num. ult.* Quod ſervatur contra principales contrahentes, & ſtipulantes, eorumque hæredes.

Sed

29 Sed contra tertium poſſeſſorem fundi dotalis judicium erit ordinarium, tam ſi agatur actione hypothecaria; quam reivindicatione, quæ pariter ad repetendam dotem datur *l. 30 C. de jure dot.*

30 *Conſtante matrimonio neutri conjugum neque pœnalis, neque famoſa actio competit, ſed de damno infactum datur actio l. divortii cauſa C. rer. amotarum*. Nec etiam ſoluto matrimonio ſucceſſores conjugum actione furti; ſed *rerum amotarum*, quantum ad eos pervenerit, conveniuntur ob præteriti matrimonii reverentiam *l. 25 D. de furtis*; *& l. de rebus 3, ſeu fin. C. rerum amotarum*.

Et heic finis commentario imponitur, debita D. O. M. laus redditur, & quicquid ſcriptum eſt, vel ſcribetur unquam, ſupremo S. Sedis Apoſtolicæ judicio ſubmittitur.

F I N I S.

605477

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III NAPOLI

INDEX

INDEX
CAPITUM.

Cap. I. *De dotis natura, & qualitatibus.* pag. 3
Cap. II. *De perſonis ad dotandum obligatis.* pag. 14
Cap. III. *De dotis promiſſione, & nuda pollicitatione.* pag. 39
Cap. IV. *De pactis dotalibus.* pag. 52
Cap. V. *De legato dotis.* pag. 61
Cap. VI. *De ſolutione dotis.* pag. 72.
Cap. VII. *De uſuris, & fructibus dotalibus.* pag. 84
Cap. VIII. *De evictione dotis.* pag. 98
Cap. IX. *De rerum dotalium adminiſtratione, ac dominio.* pag. 102
Cap. X. *De alienatione dotis.* pag. 110
Cap. XI. *De facultate teſtandi, & ſucceſſione dotium.* pag. 121
Cap. XII. *De donationibus inter virum, & uxorem.* pag. 145
Cap. XIII. *De donatione propter nuptias, ſive quarta, vel antefato, & aliis donativis.* pag. 149
Cap. XIV. *Soluto matrimonio quemadmodum dos petatur.* pag. 161.
Cap. XV. *De dote prælegata.* pag. 176.
Cap. XVI. *De dotis collatione.* pag. 181.
Cap. XVII., & ultimum. *De actionibus.* pag. 184

Google

11 Diſcrimen quoque inter promiſſores dotium extraneos, paternoſque parentes inter peculiares hujuſce actionis ex ſtipulatu effectus receſendum eſt. *Magis enim in dotibus, quæ ab extraneis dātur vel promittūtur, ipſa mulier feciſſe videatur tacitam ſtipulationem: niſi expreſſim extraneus ſibi dotem reddi pactus fuerit, vel ſtipulatus: cum donaſſe magis mulieri, quam ſibi aliquod jus ſervaſſe extraneus non ſtipulando videatur*, ait Imp. *in d. l. un.* §. 13. Extraneus igitur dans dotem, niſi redditionem ſibi paciſcatur, donare cenſetur; ideoque tacita ſtipulatio non competit extraneo dotanti, cuilibet nimirum perſonæ extra virilis ſexus aſcendentes, quæ dotatam in poteſtate non habeat. Ait quoque Imperator *in d. l. un.* §. 13. *Si non ſpecialiter extraneus dotem dando in ſuam perſonam ſtipulatus ſit, vel pactus fuerit, tunc præſumatur mulierem ipſam ſtipulationem feciſſe, ut ei dos ex hujuſmodi caſu accedat. Neque enim in hac ſpecie volumus videri extraneum tacitam ſtipulationem feciſſe; ne quod pro mulieribus introduximus, hoc adverſus mulieres convertatur.*

12 Parenti autem mulieris tacitam ex ſtipulatu actionem dedit Juſtinianus pro reſtitutione dotis profectitiæ *d. l. un.* §. 13. Nihilominus poſt diſſolutum matrimonium non poterit ſolus pater ſine conſenſu filiæ ſuæ agere: qui ſi ante actionem motam, vel antequam lis conteſtata eſſet, ab hac luce fuerit ſubtractus, ad filiam quaſi proprium patrimonium dos revertitur ex rei uxoriæ natura & indole: idque in actionem ex ſtipulatu tranſponere ſatis humanum, ſatis pium, ſatis utile matrimoniis cenſuit Imperator *in* §. 14 *ejuſdem l. un.*

13 Actio ex ſtipulatu adnexam habet hypothecam quoque tacitam, ipſoque jure inductam ſine pacto; ideoque

ideoque dupliciter exerceri valet, videlicet *perſonaliter* contra perſonam debitoris dotalis, & *realiter* ſuper bonis tam promiſſorum, quam viri contra quemlibet tertium poſſeſſorem. Quare tam maritus & uxor concurrit ad bona promittentis adipiſcenda, quam mulier vidua ad bona defuncti viri pro dote recuperanda una cum aliis creditoribus
14 hypothecam expreſſam habentibus, hoc pacto, ut prior in tempore ſit potior in jure *l. ult. C. qui potiores in pignore*.
15 Quod ſi ceteri creditores tacitam, non vero expreſſam habeant hypothecam, mulier pro dote ſua rehabenda, & filii pro dote materna privilegium habent prælationis & potioritatis, adeout præferantur aliis tacitam hypothecam obtinentibus in bonis defuncti viri, vel patris *ex l. aſſiduis* 12 *C. qui potiores in pignore*. Ubi Juſtinianus aſſiduis aditionibus mulierum inquietatus, quæ ſuas dotes deperditas eſſe lugebant, & ab anterioribus creditoribus ſubſtantias maritorum detentas, ſancivit *ex ſtipulatu actionem, quam mulieribus jam pro dote inſtituenda dedit, & cui etiam tacitam donavit ineſſe hypothecam, potiora jura contra* omnes *habere mariti creditores, licet anterioris ſint temporis*
16 *privilegio vallati*. Omnes, ſcilicet tacitam tantum habentes hypothecam, juxta ſententiam *gl.* communiter receptam in noſtris quoque tribunalibus, & præſertim S. R. C., Gizzarellus *dec.* 1. Puta contra pupillos, quibus ex adminiſtratione pupillarium rerum tacita tribuitur hypotheca ſuper bonis adminiſtratorum *l.* 20 *C. de adminiſt. tut.* Et contra alios ab eodem Juſtiniano commemoratos Nov. 97 *cap.* 3, ibi: *ſi quis domum renovaſſet, aut etiam agrum emiſſet, non poſſit talia potioritatis privilegia mulieribus opponere: infirmitatem nanque mulie-*

ris

vis naturæ ſatis novit,*eaſque circa dotem pericula ſuſtinere* noluit.Si quis tamen crediderit aurum occaſione militiæ ante dotis conſtitutionem, præferetur uxori,*d.*Nov.97 *cap.4*.Fiſcus tamen & dos æquo jure procedunt in tacita hypotheca,quatenus prioritas tẽporis, non potioritas attendatur, ubi Fiſcus ſuper bonis debitorum fiſcalium, & mulier pro dote ſua inſimul concurrant *l.2 C. de privil. fiſci*, *&* *l.dotis tuæ* 9 *C. de jur. dot.* Ceterum in ambiguis pro dotibus reſpondere melius eſt ex Paulli ſententia *in l. in ambiguis* 85 *D. de reg. jur.*

17 Antonius Faber *lib.* 8 *conject. cap.* 12 *col.* 3 fatetur *duram legem eſſe*, *&* *iniquiſſimam*, qua contra *omnes* generatim creditores anteriores ſine diſtinctione tacitæ, &. expreſſæ hypothecæ privilegium potioritatis conceſſum à Juſtiniano dotibus autumavit: *ſed ita ſcripta eſt*. *Nec tamen inficiatur prudenter feciſſe veteres interpretes*, *licet nimis audacter*, *qui cum Juſtiniani legem abrogare non poſſent*; *æquiſſima interpretatione ſic eam temperarunt*, *ut prælationis privilegium mulier habeat contra eos duntaxat creditores anteriores*, *qui nonniſi tacitam hypothecam prætendunt*: *quod cum generalis locorum omnium conſuetudo*, *&* *judiciorum omnium auctoritas admiſerit*, *audacior ſane &* *temerarius fuerit*, *qui contra ſentire*, *&* *judicare velit*. *Apertiſſime enim iniquum eſt privilegium temporis*, *quod expreſſa pignoris conventione quæſierim*, *mihi adimi per ſubſequens debitoris matrimonium*. *Quid enim mea intereſt*,*an uxorem ille ducat*, *dotemque ab ea accipiat &* *male conſumat*, *necne?* Sed rectius dicetur Juſtinianum locutum fuiſſe de bonis æſtimatis in dotem marito traditis, ſuper

quibus

quibus æquitas juris mulierem præfert omnibus aliis viri creditoribus ſive tacitam, ſive expreſſam habentibus hypothecam. *Oportebat enim* (ait in textu Juſtinianus) *diſponi maritos creditoribus ſuis ex ſua ſubſtantia ſatisfacere, non de dote mulieris, quam ad ſuos victus, ſuaſque alimonias mulier poſſidet, vel a ſemetipſa datam, vel pro ea ab alio.*

18 Quamobrem ubi æſtimata bona dotalia fuerint alienata, & hereditas vel patrimonium viri ſolvendo non ſit, mulier ad res dotales regreſſum habet, utilemque vindicationem, non aliter quam ſi alienatæ non fuiſſent arg. *l. uxor marito* 44 *in fin. D. de donat. inter vir. & uxor.* Eademque ratione vindicabit fundum dotali pecunia emtum *ex dict. l. uxor marito*; & gl. *in l. ex pecunia verſ. providebit C. de jur. dot.* eoque magis pecuniam dotalem adhuc extantem vel in reali depoſito, vel per cautionem debitoris dotalis, Ant. Galiſius *de act. revocatoria cap.* 1 *&* 9. Seu vere, vel ficte ſolutam pecuniam dotalem avocabit mulier, ut loquitur Reg. de Roſa *in pr. civ. cap.* 1 *n.* 54.

19 Si vero bona dotalia ſint inæſtimata, ſuper illis quum nullam creditores acquirere poſſint actionem, ideo mulieres directo illa ſibi avocant, & reivindicant, arg. *l. un. §. & cum lex C. de rei uxor. act.* Reg. de Roſa *loc. cit. n.* 53.

20 Dos poſterior ſecundæ uxoris minime præfertur anteriori primæ uxoris. Prætulit enim contra novercas Juſtinianæa lex filios anterioris matrimonii, quibus etiam pro dote matris ſuæ jam quidem dedit Imperator Juſtinianus hypothecam contra paternas res, ejuſque creditores; ſimilemque potioritatis prærogativam ſervavit, ne jus quod poſteriori datum eſt uxori, hoc anteriori denegetur: ſed ſic

maneat eis jus incorruptum quaſi adhuc vivente matre eorum. Duabus enim dotibus ab eadem ſubſtantia debitis, ex tempore prærogativam manere voluit *in eadem l. aſſiduis §. exceptis*. Conſonat Novella 91 *cap.* 1, ubi cautum eſt dotem non præponendam doti, nec hypothecam hypothecis; ſed quæ antiquior eſt tempore, potior ſit in jure, proprium robur habens & privilegium.

21 Nihilominus ſi extent res dotales cujuſque mulieris, ſuas quæque mulier, & liberi res extantes vindicabunt ex dicta Nov. 91, *& l.* 30 *C. de jur. dot.* Res autem ſingulæ vindicantur, non autem dos univerſa, quemadmodum nec etiam grex, neque peculium, ſed gregis, & peculii ſingularia corpora, juxta ſententiam Juliani *in l. vindicatio* 65 *D. de reivindic.* Si non extent, antiquior cauſa dotis præfertur. Eademque ratione ſuper rebus dotalibus extantibus licet æſtimatis mulier præferri debet quibuslibet anterioribus viri creditoribus.

22 Hoc autem potioritatis privilegium pro dote ſolum competit, & pro interuſuriis dotalibus, quæ tanquam acceſſoria naturam dotis ſequuntur, ex eo præſertim quod onera matrimonii ſuſtinenda ſunt eiſdem interuſuriis, ex communi DD. ſententia penes Reg. de Marinis *lib.2 reſol. cap.* 166 *n.*24. Non ergo extenditur ad donationem ante nuptias, ſeu antefatum; non enim pro lucro fovere oportet mulieres; ſed ne damnum patiantur, ſuiſque rebus defraudentur, curandum eſt *ex eadem l. aſſiduis* §. 2. Nihilominus permiſſa eſt & in rem actio pro donatione antenuptiali, ſeu propter nuptias, ſeu antefato adverſus omnes poſſeſſores Nov. 61 *cap.* 1, & Auth. *permiſſa eſt C.de donat. ante nupt.* Verum actio realis, & hypotheca antefati competit a die promiſſionis illius: quod ſi promiſſum minime fuerit, decurret a die mortis viri. Inſuper

23 Inſuper ex verbis expenſæ *l. aſſiduis*, aperte liquet hypothecam, quam vir habet in bonis promittentis non eſſe potiorem, nec privilegiatam pro dote exigenda, aliter quam eſt hypotheca dotis reſtituendæ ſuper bonis viri, quoniam nullibi id privilegium viro conceſſum legitur, gl. *in l. un.* §. *& ut plenius C. de rei uxor. act.*

24 Non minus ergo mulieribus, quam earum filiis reſtitutionem dotium maternarum petentibus conceſſit Juſtinianus idem potioritatis privilegium, qui idcirco præferuntur non ſolum novercæ, ſed quibuslibet aliis creditoribus tacitam habentibus hypothecam, Nov. 91 in principio ſic inquiens: *Non enim aliis dedimus dudum, & damus hoc privilegium, aut heredibus, aut creditoribus, ſed ſolis filiis*. Conſonat *cit. l. aſſiduis* 12, *ſeu fin. C. qui pot. in pignore*, ubi correxit Imperator §. *fuerat* Inſtit. *de action.* definientem ſolius mulieris providentia & favore hoc potioritatis privilegium fuiſſe inductum. Uxori putativæ, quæ matrimonium bona fide nulliter contraxerit, competunt hæc privilegia dotalia: ſecus vero ſi mala fide nupſerit, quia dolus & fraus nemini debent patrocinari, *l. ne ex dolo* 13 *D. de dolo*.

25 Tempus vero hypothecæ dotalis computatur a die promiſſionis, vel capitulorum matrimonialium, vel a morte diſponentis, legantiſve dotem; quamvis obligatio ſolvendi dotem ſit conditionalis & nonniſi poſt contractum matrimonium veniat dies ſolutionis. Retrotrahitur enim conditio matrimonii ad promiſſionis diem juxta probabiliorem ſententiam in praxi receptam. Si tamen conſtitutio, & promiſſio dotis matrimonium ſubſequuta ſit, pariter a die promiſſionis decurrit hypotheca legalis; quoniam tametſi dos ſine matrimonio eſſe non poteſt, matrimonium

29 Sed contra tertium poſſeſſorem fundi dotalis judicium erit ordinarium, tam ſi agatur actione hypothecaria; quam reivindicatione, quæ pariter ad repetendam dotem datur *l. 30 C. de jure dot.*

30 *Conſtante matrimonio neutri conjugum neque pœnalis, neque famoſa actio competit, ſed de damno in factum datur actio l. divortii cauſa C. rer. amotarum.* Nec etiam ſoluto matrimonio ſucceſſores conjugum actione furti, ſed *rerum amotarum*, quantum ad eos pervenerit, conveniuntur ob præteriti matrimonii reverentiam *l. 25 D. de furtis, & l. de rebus 3, ſeu fin. C. rerum amotarum.*

Et heic finis commentario imponitur, debita D. O. M. laus redditur, & quicquid ſcriptum eſt, vel ſcribetur unquam, ſupremo S. Sedis Apoſtolicæ judicio ſubmittitur.

FINIS.

605477

BIBL. NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III NAPOLI

INDEX

Digitized by Google

Google

Google

Digitized by Google

[illegible] Google